



2  
1.  
2  
3  
4.  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17.  
18  
19

Q. B. V. D.  
DISPUTATIO THEOLOGICA,  
DE

# FIDELIUM

## METΑΣΧΗΜΑΤΙΣΜΩ

Ex Philipp. III. 20. 21.

Quam

PRÆSIDE

DN. JOH. GEORG. NEU-  
MANNO,

SS. Theolog D. ejusdemqve Pro-

fess. Publ. undiqvaqve Celeberrimo, Alumnorum  
Electoralium Ephoro Gravissimo, & Academ. Bibli-  
othecar. Spectatissimo.

*Dn. Patrono ac Præceptore omni re-*

*verentia cultu et atem devenerando,*

defendet  
AUCTOR

JOH. CHRISTIAN. BUTTELIUS

Zittav. Lusat. SS. Theolog. Stud.

Die 7. April. M. DCCI.

H. L. Q. C.

  
WITTENBERGÆ, Literis FINCELIANIS.

33  
BIGÆ  
FRATRUM DILECTISSIMORUM

& quidem

*Viro Nobilissimo, Amplissimo, Ex-  
cellentissimo Consultissimoque*

DOMINO

DN. JO. HENRICO a Sanctisch

J. U. Licentiato Meritissimo, Curiaë Provincialis Advocato  
Ordinario Spectatissimo, & Præfecturaë Seydenber-  
genfis Cancellario Gravissimo

nec non

*Viro plurimum Reverendo, Nobilis-  
simo, Amplissimo, Doctissimoque*

DOMINO

DN. M. GODOFREDO CHRI-  
STIANO, a Sanctisch

Pastori Ecclesie Schvvertensis vigilantissimo

*Patronis ac Fautoribus meis omni*

*honoris ac observantia cultu et aeternam prosequendis*

Hoc quaecumque specimen Academicum in perpe-  
tua pietatis ac memoriae pignus cum omnigenæ  
prosperitatis Voto

dedicat ac offert

AUCTOR



**H**ominem in creatione Deo conformatum fuisse, sacrae testan-  
tur paginae. Quae conformatio, quanquam praestantissimum  
fuerit humanae naturae κειμήλιον, eam tamen lapsis parentibus  
sine spe recuperationis in hac vita perditam deploramus. Nihilomi-  
nus quaesitum fuit inter Philosophos, utrum homo Deo perfecte con-  
formari queat, aliis quidem in affirmativam, aliis vicissim in negati-  
vam concedentibus. Eprioribus Plato videtur utramque facere  
paginam, cujus πρώτον ψεῦδος erat: animas nostras esse quasdam par-  
ticulas ab essentia Dei decerptas: hinc illas ad illud fastigium, ex  
quo erant dejectae, iterum adducturus, similitudinem svasit cum  
Deo instituendam. Quod dogma, etsi vetustior aetas avide arripu-  
erit, & moderna Fanaticorum secta passim commendet, & velut θεῖον  
aliquod deprædicet: tamen veritatis calculo firmari non potuit.  
Nam ut ab Ethnicis Philosophis ad Judæorum Rabbinos faciamus  
saltum, R. Majemonides, de quo tritum illud circumfertur משה  
היה כמשה א משה ל א היה כמשה a Mose (Propheta) usque ad Mosen (filium  
Majemonidis) non fuit sicut iste Mose, in *Libro Moreh Nevochim in-*  
*scripto Part. I. Cap. LVI. pag. 92. seq.* non admittit dari posse inter nos  
& Deum similitudinem, nisi ὁμωνύμως sic dictam, ex ea ratione, quia  
nulla daretur proportio, negata vero proportione, negaretur ipsa  
ὁμωνύμως, quippe quæ sit comparatio vel proportio quædam inter du-  
as res. Sed a vero utriusque aberratum fuisse, nos, sacrae Scripturae  
lumine irradiati, facile videmus. Ut enim Plato in eo aberravit,  
quod fieri posse credidit, ut homo observatis illis mediis in hac vita  
plene conformari possit Deo, ita R. Majemonides multum a vero  
abfuit, quod nullam veram, ac analogicam quidem & aliqualem  
conformationem nobis in ordine ad Deum largiri voluit. Quic-  
quid ejus rei sit, nos certissimi sumus, conformationem nostri cum  
Deo

Deo inchoari quidem posse, non consummari, quippe quod futuro seculo reservatur. Cujus rei fidem nobis facit dictum illud Apostolicum Philipp. III. 20. 21. quod cum industriae academicæ specimen esset edendum, sub incudem placidæ disquisitionis revocare placuit. Facile quidem prævidere possumus, vires nostras, quas sat inexercitatas adhuc esse ingenue fatemur, oneri ferendo non fore pares, hinc, ut non ex eo quod fecerim, sed quod facere voluerim iudicium desumatur, perofficiose contendo. Tres autem Sectiones Dissertationum nostra sibi vendicabit, quarum I. circa Textus Analysin. II. circa præcipuum aliquod dogma per Aphorismos pertractandum III. circa quasdam controversias e Textu decidendas occupabitur: Hisce nostris laboribus Supremum, quod veneramur supplices, adspiret Numen, ac ut nostra navis secundis adjuta ventis felicissimum inveniat portum, clementissime largiatur! Antequam vero ad ipsam Tractationem accessum faciamus, Textus authenticus una cum extantioribus quibusdam versionibus erit præmittendus.

### Fontes ita fluunt.

Verf. 20. Ἡμῶν γὰρ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει, ἐξ ἧς καὶ σωτῆρα ἀπεκδεχόμεθα Κύριον Ἰησοῦν Χριστόν.

Verf. 21. Ὃς μεταχημαλίσσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον, τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τῆς δυνάμεως αὐτοῦ καὶ ὑποτάξαι ἑαυτῷ τὰ πάντα.

### Versio B. Schmidij.

*Nostra autem conversatio in caelis existit: ex quo etiam Salvatorem expectamus Dominum Jesum Christum. Qui transformabit corpus humilitatis nostræ, ut illud sit conforme corpori gloriae ipsius, juxta efficaciam, quâ ille potest etiam subicere sibi ipsi omnia.*

### Versio B. Lutheri.

Unser Wandel aber ist im Himmel/ von dannen wir auch warten des Heylandes Jesu Christi des Herrn. Welcher unsern nichtigen

tigen

tigen Leib verklären wird/ daß er ähnlich werde seinem verklär-  
ten Leibe/ nach der Wirkung/ damit er kan auch alle Dinge ihm  
unterthänig machen.

Reliquas versiones in ipas Exegesi videbimus.

*Sectio I.*

*Philologico-Exegetica*

§. 1. De *Scopo*, quem Apostolus sibi propositum habuit  
ante omnia dispiciendum est. Hic autem ex accuratiori antece-  
dentium collatione, indeq; perspecta cohærentia satis innotescit. Ni-  
mirum ut in tritico zizania, sic in Ecclesia Philippensium erant nonnul-  
li, qui, quam venerationem cruci Christi debebant per nefandum scelus  
ventri deo tribuentes, vero Deo beatitudinem suam libenter relictu-  
ri fuerant, dum modo vitam omnibus voluptatibus abundantem in  
hac vita invenissent. Quorum contagium cum latius grassatu-  
rum prævidere posset Apostolus, de re fore sua putavit, ut fideles fi-  
dei suæ commissos ab horum commercio revocaret, quod facile se-  
consecuturum sperabat, si sui suorumque commilitonum exem-  
plum ad imitandum iis proponeret, simulque ostenderet, quem fi-  
nem, quam ignominiam secus ambulantes adepturi sint, quodque  
vicissim bonum eos maneret, qui his terrestribus alto supercilio  
delusis ad altiora tenderent. Et hoc postremum id ipsum est, circa  
quod in textu nostro versatur.

§. 2. Atque hinc de *argumento* constat. Adhortatur  
nimirum Apostolus adhuc Philippenses ad sui suæque fidei  
*sociorum imitationem*, quam commendat insigni, quam de se  
spargeret utilitate. Expectarent enim 1.) Salvatorem de cœlis, bre-  
viter eos ex hac miseriarum valle eripientem. 2.) Deberent coelesti-  
bus, ac corpori Christi glorificato conformibus qualitatibus vestiri,  
ut sic argumentari videatur: Si Christus de cœlo veniens e miseris nos  
eripiet, nostraque corpora ita transfigurabit, ut conformia fiant cor-  
pori suo glorificato, sequitur, non esse curanda terrestria, sed imi-  
tandos eos, quorum *πολίτευμα* in cœlis est. Atque verum est prius. E.  
et posterius.

§. 3. Sed verba singula strictim expendere volentibus, primo statim intuitu apparet *connexio* per voculam *γὰρ* facta, quam Aliqui per *enim*, ut Erasmus, Zanchius, Crellius, Vatablus, Balduinus; Aliqui vero per *autem* reddiderunt, ut Emserus, Dietenberg. Moguntina, Norimbergensia, Vulgata, Syrus, B. Lutherus, B. Seb. Schmidius. Ac Erasmus qui dem Schmidius eos pro *γὰρ* adversativum *δὲ* legisse opinatur. Sed quid opus hac conjectura, quam inspectio codicum probatissimorum satis superque diluunt, quippe qui pacto velut inter se conventi constantissime *γὰρ* legunt. Neque tamen idcirco refragamur iis, qui *γὰρ* pro *δὲ* positum autumant. Apostolus enim vers. præcedentibus egerat de quibusdam Epicuri de grege porcis, qui τὰ ἐπιγυα φρονεῖντες summum bonum se adeptos esse putabant, si, quæ ventrem implerent, præsto essent, quorum perversa studia cum præcipitium Philippensibus portendere dixisset Apostolus, sermone ad se facto, sui viceversa, suorumque commilitonum exemplum proponit, q. d. Sapiant alii quicunque velint terrena, fodient quasi talpæ terram: nos cœlestibus pascimur, ad cœlum tendimus, cœlestibus inhiamus, certi, cœlestia meditantibus coeleste aliquando præmium reportaturos. Agite ergo nobiscum Philippenses optimi, nostrumque exemplum sit vobis regula. Ne vero quis opinetur inusitatum esse *γὰρ* pro *δὲ* exponi, videatur 2. Tim. II. 7. Act. VIII. 39. Marc. V. 42. Luc. IX. Philipp. I. 18. quod & fecerunt LXX. Interpr. Genes. XLV. 7. Exod. V. II.

§. 4. Nunc videndum, quoniam significantur voce *ἡμῶν*. Vel enim intelliguntur soli Doctores verbi, vel omnes in universum fideles. Posterius svadere videtur illud, quod hi omnes hic intelligendi sint, qui participant eadem, quæ hic afferuntur, Prædicata. At omnes fideles talia participant, dum nimirum superna quærunt Col. III. 1, 2. Salvatorem expectant Apoc. XXII. 20. conformes fiunt imagini Christi I. Cor. XV. 49. Ergo. Prius tamen magis textui convenire videtur, id quod sic probatur: Quorumcunque exemplum imitari debebant Philippenses, ii sunt, qui dicunt conversationem suam esse in cœlis. Ratio, quia inter vers. 17. usque ad hunc vers. 20. non intercedit aliud Subjectum, ad quod verba illa ultimorum versuum referri

pos-



possent, necesse itaque est, ut reducatur ad illud Subjectum, quod sui imitationem requirebat vers. 17. Atque Pauli ejusdemque in fide *συνεργῶν* exemplum imitari &c. E. Neque nos ab hac sententia abduci potest superius argumentum. Non enim sequitur, eos omnes pertinere ad subjectum, qui participant idem prædicatum, cum sæpius alicui approprietur, quod & reliquis pari ratione competit. Sic in divinis Christus sibi appropriat redemptionem mundi Es. LXIII. 3. quæ tamen æquo jure Patri & Spiritui S. competit; Sic in Spiritualibus Paulus sibi appropriat meritum Christi Gal. II. 20. quod tamen ad omnes spectat homines. Nunc quamvis Apostolus hanc conversationem in cœlis de se suisque in Ecclesia plantanda cooperariis in textu nostro directe ac principaliter prædicet, non tamen cœteros fideles ab hoc rerum cœlestium studio & felicitate exinde resultante vult exclusos.

§. 5. Accedimus ad τὸ Πολίτευμα, quod monadicum est, neque alibi in Scriptura redit. Radix ejus primigenia est πόλις, quam derivant ἀπὸ τῆς πόλεως ἐν αὐτῇ, quod homines in ea versentur, & contradistingunt τῶ ἄστυ, quod πόλις significet & ipsam civitatem, & incolas civitatis, ἄστυ vero civitatem tantum. Quid hic significet τὸ πολίτευμα non convenit inter Exegetas. Aliqui reddunt per *conversationem*, ut Vulgata, Ambrosius, Lombardus, Thomas de Aquino, ipse B. Lutherus, Victorinus Strigelius in suis Hypomnysi ad h.l. Dietenberg. Biblia Moguntina & Norimbergensia, Calvinus in Comment. ad h.l. Aliqui per *municipium*, ut Tertullianus, Zanchius, Hammondus, Grotius: Aliqui per *jus civitatis*, aut ipsam civitatem, ut Clericus, B. Glassius, B. Heindr. Mullerus in Gräbern der Heiligen p. 462. B. Balduinus, B. Schomerus in Exegef. in omnes Epist. Pauli Min. ad h.l. Olearius in der Biblischen Erklärung: Aliqui vero famosiores duas πολιτεύματος significationes, quæ scilicet *conversationem* vel *jus civitatis* notat conjungentes, talem conversationem in aliquo loco intelligunt, qualis est civium in sua civitate, ut e Patribus Theophylactus, e Pontificiis Cornel. a Lapid. e Reformatis Beza, e Nostratibus B. Calovius in Bibl. Illustr. ad h.l. & alii. Sed de his expositionibus quid

quid sentiendum sit, sigillatim videbimus. Qui vertunt per *conver-*  
*sationem*, præsidium suæ versionis quærent in eo 1.) Quod hæc posteri-  
 ora commata 20. & 21. opponantur versibus proxime præcedentibus  
 18. & 19. 2.) Ex voce conjugata πολιτεύεσθαι, quam Apostolus Paulus ut  
 alibi, ita & in hac ipsa ad Philipp. Epistola pro *conversari* usurpat. 3.)  
 Pontificii, nominatim Menochius, ut liberent suam Vulgatam, hanc  
 πολιτεύματος significationem potissimum probant ex eo, quia teste  
 Budæo πολιτεύμα apud Classicos Autores sæpius significet *vite ratio-*  
*nem & institutum*: At hanc posteriorem rationem refutare videtur  
 Beza, quod hoc modo πολιτεύμα nostrum non tam in cœlis esse, quam  
 in cœlum tendere dicendum sit. Qui reddiderunt per *municipium*, no-  
 mini municipii vim intulisse videntur, cum municipium quondam  
 fuerit oppidum, quod propter varia beneficia Romana civitate dona-  
 tum, suis, non Romanis regebatur legibus. Jam si applicentur hæc  
 ad vitam æternam in cœlis aliquando consequendam, sensus emergit  
 absurdissimus. Quare non solum Tertullianus & Hieronymus ea  
 voce usi a viris doctis hunc locum interpretantibus notati sunt, sed  
 & Clericus Hammondum eam ob rem acerrime perstringit. Quo  
 factum, ut aliqui hiatum istum videntes pro *municipio municipatum*  
 substituerint, infelici tamen pariter eventu. Nam sicut nemo mu-  
 nicipum dicere potuit: *Meus municipatus est Roma*. Municipatus e-  
 nim erat jus & conditio municipum, unde quia Romæ non dabantur  
 municipes, neque jus eorum ibidem haberi poterat: Ita fideles  
 in textu nostro non absque insigni ἀκυρολογία dixissent: *noster muni-*  
*cipatus est in cœlo*. Sane si metaphora ex conditione municipum sum-  
 pta Christianorum conditionem describere vellemus, oporteret di-  
 cere, eos *municipium suum habere in terris, sed civitatem, a qua jus mu-*  
*nicipale acceperint, esse in cœlo*. Qui *Republ. administrandi ratio-*  
*nem* intellexerunt, sensum reddiderunt turbidum & incongruum  
 Loquitur enim Paulus de *loco*, ut liquet ex præpositione ἐν; ἡμῶν γὰρ  
 τὸ πολίτευμα ἐν ἔργαῖς ὑπάρχει. Quod si loqueretur de objecto, ut vo-  
 lunt secus vertentes, vel cœlum in nominandi casu, vel adjective fu-  
 isset Apostolo positum. Qui πολιτεύμα nostrum explicant de *jure*

civi-

*civitatis*, intelligunt hoc jus, non ratione *Subjecti*, quasi Subjectum jus illud civitatis habens, in urbe illa principali sit, verseturque adeo jam in cœlo : Sed *radicaliter*, quia jus illud suum fundamentum habet in cœlo, *objective*, quia civitas circa quam jus illud versatur, est in cœlo, & *terminative* vel *consecutive*, quia jus illud tandem consequitur actualis supernæ civitatis inhabitatio, unde aliqui eorum ipsum *civitatis* vocabulum & rectius quidem adhibuerunt. Primarium robur ex Etymologia vocis accersunt. Aristoteles enim *Lib. III. Polit.* πολιτεύμα statuit idem significare quod πολιτείαν, dixerat autem ἐστὶ δὲ πολιτεία πόλεως τάξις. Deinceps id vel maxime svadere videtur phrasis πολιτεύματος μετέχειν *civitate donari*, quam usurpat Plutarchus in oppositione ad πολιτείαν δέναι, quod notat aliquem civitate donare, denique verbum conjugatum πολιτεύεσθαι, quænam & aliis functionibus applicetur, proprie tamen & ut plurimum significat *studiis administranda Reipubl. intentum esse*. Cæterum cum non facile dictu sit, quænam hic significatio vocis πολιτεύματος assumi debeat, cum utraqve rationibus & Patronis haut spernendis firmata sit, optimum, ni totus fallor, factu videtur, si ductum quorundam Commentatorum, qui utramque conjungendam existimarunt, secuti, conversationem talem hic intelligamus, qualis est civium in sua patria vel Republica. Sic enim judice B. Calovio diversi interpretes ad consonantiam revocabuntur, & textus optime poterit explicari. Etenim hanc expositionem svadet 1.) ἀντίθεσις. In antecedentibus enim tale περιπατεῖν ac φεγεῖν fuerat descriptum, quod versaretur circa res mere terrestres, easque non uno pede consistentes, sed in iectu oculi transeuntes, qualis est eorum, quæ peregrinantes aspiciunt, facies : jam Apostolus monstraturus animorum diversitate δις διὰ πασῶν inter se invicem distare pios & impios talem conversationem intelligi vult, quæ non occupetur rebus terrenis sed cœlestibus, iisque positus non in loco peregrino, sed ut indigenis *Patria* est notissimo, perpetuoque durante 2.) Locus parallelus Hebr. XIII. 14. ubi πολιτεύμα ἐν ἄρανοῖς per ἐπιζητήσιν πόλεως μελλέσσης redditur. 3.) Usus vocis πολιτεύματος, usurpatur enim sæpius pro omni actione & administratione, quæ in civili h. e. noto & perenni statu suscipitur.

Innuit igitur Paulus cum Symmyftis suis, se pro benevola Dei fidem respicientis gratia civitate coelesti fuisse donatos, in quam adeo ceu praestantissimum thesaurum omnes cogitationes suas defigerent, de ea sola, velut nihil aliud scirent, loquerentur, eidemque omne studium, omne desiderium, omne suspirium suum consecrarent, ut quanquam eam nondum plenarie sint adepti, in ea tamen toti, hic vero peregrini (quod de se dicebat Jacob. XLVII. 9. & *μουσικῶς* explicat Paulus in Epist. ad Hebr. Cap. XI. 9. 10. 13. 19.) esse videantur. Quadrant huc quod Cicero de Catone 2. de Leg. dixit: *eum cum ortu Tusculanus, esset civitatem Romam habuisse.* Fideles enim cum ortu terrestres sint, fide tamen coeli municipes efficiuntur. Anaxagoras gloriabatur quidem coelum sibi patriam esse, teste Laertio. Quantum Ovidius hac in re sibi tribuerit, vel ex illo versiculo, quia speciem quidem bono, sed revera pessimo:

*Est Deus in nobis sunt & commercia caeli.*

notum evadit. Seneca Epist. LI. Sapientem majore sui parte illic esse perhibet, unde descendit. [Putabat autem ut Stoicus aethera per haec inferiora diffundi.] At quam misere fuerint in hac opinione sua decepti, quilibet ex absentia fidei, sine qua talis conversatio frustra fingitur, judicare potest. Ut propterea dicendum sit, eam solis, iisque renatis Christianis esse propriam.

§. 6. Quare cum Apostolus una cum Symmyftis suis hic suum sistat exemplum, videndum est, quomodo dum adhuc in terris erant in coelo tanquam in patria sua vel civitate conversatos eos fuisse dici possit. Id autem fieri potuit, si vitam egerint municipes coeli maxime dignam a.) *caelestia subinde meditando*, unde Macarius, Homil. V. dicit: *veri Christiani discrepant ab universo genere hominum in eo, quod animus atque intellectus Christianorum cogitationi caelesti semper sit deditus, aeterna bona contempletur propter communicationem Spiritus S. quia sursum ex Deo nati sunt.* b.) *Deum diligendo*, nam ut D. Augustinus Sermon. 49. de Temp. Cap. 4. dicit: *qui diligit Deum, in coelo habitat cum Deo; qui diligit mundum, in mundo cum principe habitat mundi.* γ.) *in spe certa salutis suae subinde vivendo*: *conversatio enim nostra in caelis est,*  
in-

inquit Augustinus, quia spem jam in illam terram quasi anchoram pra-  
 misimus, ne in isto mari turbati naufragemus. Quemadmodum ergo de  
 navi, quae in anchoris est, recte dicimus, quod jam in terra sit, adhuc tamen  
 fluctuat, sed in terra quodammodo educta est contra ventos & tempesta-  
 tes: sic contra tentationes hujus peregrinationis nostrae spes nostra fun-  
 data in illa civitate Jerusalem fuit, nos non abripi in saxa d.) se ipsos abne-  
 gando, hinc Basilus M. inquit: ὦν τὸ πολίτευμα ἐστὶν ἐν ἐργαῖς τῶν τῆν σάξ-  
 να σωροσάντων σὺν τοῖς παθήμασι. e.) ad imitationem Christi crucem pa-  
 tienter ferendo: oportet enim fideles per multas tribulationes regnum  
 Dei ingredi Act. XIV. 22. ac cum Christo pati, ut tandem ad eandem glo-  
 riam evehantur. Rom. VIII. 17. Videat. Clemen. Alexandr. Lib. 4. Stro-  
 mat. sub. fin. ζ.) caelum unice desiderando, dicentes cum Davide: Sicut  
 cervus glocitare solet ad aquam gelidam, ita clamitat anima ad te, Deus,  
 quando tandem eo venturus sum, ut videam tuam faciem Ps. XLII 2. 3. &  
 cum Paulo: cupio dissolvi & esse cum Christo Philipp. I. 23. n.) terrena con-  
 temnendo, exemplo Moysis, qui malebat cum populo Dei incommoda  
 pati, quam temporariis peccatorum voluptatibus gaudere, reputans  
 ignominiam Christi majores esse divitias, quam omnes thesauros A-  
 gypti Ebr. XI. 25. 26. & Pauli, qui ut Christum consequeretur, omnia  
 sterCUS reputavit Philipp. III. 8. 9) tandem & quidem primario ve-  
 re credendo. Tantum enim fides reliquis praestat, quantum sol ra-  
 diis, mater soboli, Domina pedisse quæ, quare & per hanc ipsa caelestia  
 bona venturiqve seculi virtutes gustasse dicuntur Ebr. VI. 4. 5. vidis-  
 se, quam suavis sit Dominus Ps. XXXIV. 9. introducti in conclave Re-  
 gis Cant. I. 4. primitias Spiritus habere, ac per spem salvi esse. Rom.  
 VIII. 23. 24. participari de natura divina 2. Petr. I. 4. Singula hæc com-  
 plexus videtur Megalander noster Lutherus, qui in *Explicat. Cap. I.*  
*Evang. Job. Tom. VI. Altenburg. fol. 1220.* somnum illud ἀξιωματικόν εὐλογ  
 Patriarchæ Jacobi Genes. XXVIII. explicat, atque inter alia scribit:  
 Also sehen wir noch den Himmel offen/ ja wir wohnen selbst im Him-  
 mel/ denn ob wir wohl etlicher massen auff der Welt leben/ so sind wir  
 doch geistlich angeschrieben im Himmel unter die Himmlischen Bür-  
 ger/ und haben unsern Wandel alda vor Gott mit unsern Gebet/

im Glauben und im Göttlichen Wort/ auch in den Sacramenten/  
 wandeln in der Liebe gegen dem Nächsten/ wachsen im Wort und Er-  
 kãntniß Christi/nehmen auch zu in alle dem/das uns vonnöthen ist zum  
 ewigen Leben/ das ist unser Himmlischer Wandel/ welchen der Glaube  
 hle anfãhet/ und ist uns der Himmel offen/und ist unser Wohnung und  
 Wandel im Himmel/ leben allda wie Bürger/- ob wir gleich mit dem  
 Leibe noch auff Erden sind. Restat ut Paulum cum Paulo conciliemus.  
 Dixerat enim 2. Cor. V. 8. *nos peregrinari a Domino*, quod prima fronte  
 adversari videtur textui præsentis, quo dicitur: *nostra conversatio in  
 cœlis est*. At hæc nullo negotio componi possunt distinctione inter  
 conversationem *cordis & corporis*, quando dicit Apostolus se suosque  
 fidei socios conversari nunc in cœlis, non intelligit conversationem  
*corporis*, quod detinebatur adhuc in terris velut in loco peregrino,  
 quærens tamen patriam suam Ebr. XI. 14. 2. Cor. V. 6. 8. sed *cordis & af-  
 fectus*, quo malebat esse cum Christo Philipp. I. 23. Neque huic expo-  
 sitioni obstat, quod Paulus credentes Ephesios Cap. II. 19. vocet *συμπο-  
 λίταις & οἰκείαις τῆς Θεῆς*, loquitur enim non de Ecclesia triumphante, ut  
 nos hic, sed militante. Vid. B. Ægid. Hunnius in *Comment. ad b. l.*

§. 7. *Ἐν ἄρανοῖς ὑπάρχει*. Quænam sit origo vocis *ἀρανοῦ* non mul-  
 tum erimus solliciti. Videantur Henr. Stephan. *Thesaurus Lingua  
 Græca*, Suidas, Schrevelius, Pasor, Cælius Rhodiginus, Dictionar. Græ-  
 eo-Latin. ex Budæi, Tufani & P. Constantini operibus contextum.  
 Quod significet cœlum vide probat. a B. Pfeiffero in *Thesaur. Hermene-  
 neut. p. 251*. Cum autem plurimum cœlorum in Scripturis mentio fi-  
 at, ipsumque vocabulum *ἀρανοῦ* modo de cœlo aëreo, ut Luc. VIII. 5.  
 Mat. XVI. 2. modo de sidereo, ut Mat. XXIV. 29. Apoc. VI. 3. modo eccle-  
 siastico ut Mat. VI. 9. Eph. I. accipiatur quæritur nunc quodnam cœlum  
 hic intelligendum sit, & Commentatores quidem in eo conveniunt o-  
 mnes, quod hic cœlum gloriosum & beatificum significetur, idque  
 probari potest tum ex *antitbesi*, quia Paulus se opposuerat iis, qui ne-  
 glecto cœlo, solis terrestribus intenti erant, tum ex *sequentibus*, id e-  
 nim cœlum hic intelligitur, ex quo Christus veniet ad iudicium. Jam  
 Christus quanquam sit ubique, e cœlo tamen beatorum visibiliter appa-  
 rebit

rebit veniens ad iudicium. Dextram enim Dei, ad quam semel con-  
 fedit, mutare nequit. Item: hoc cœlum hic intelligitur, in quo corpo-  
 ra nostra corpori Christi conformanda sunt, at in solo π̄̄ beatorum  
 corpora beatorum qualitatibus corporis Christi vestienda sunt. E. Ex-  
 plodi ergo meretur eorum opinio, qui nescio an serio an per jocum  
 speculationes astronomicas in hoc textu commendari dicunt. Quam-  
 vis enim contemplatio cœli nunquam in Scriptura prohibeatur, sed  
 commendetur potius, ex hoc tamen loco, ubi de conversatione spiri-  
 tuali agitur, tale quid exsculpi non debebat. Sed quæerere aliquis po-  
 terat, cur *cœlum* numero plurali enunciatur, cum constet, non nisi u-  
 num beatorum π̄̄ dari? Respondet Pastor, id fieri, quia stylus N. T. ad  
 stylum V. T. ubi cœlum semper voce עֲמֻשׁ efferri soleret, fuerit infle-  
 xus. Calvinus putat id fieri propter multitudinem orbium cœlesti-  
 um, Bullingerus, quia darentur plures in cœlo empyreo, quod fingunt,  
 cellulæ distinctæque mansiones. Cornel. a Lapid. in *Jerem. Cap. II. 14.*  
 perinde dicit sive dicatur cœlum sive cœli. Sed de eo scrupulosius in-  
 quirere nolumus. Verbum, quod adjicitur, ὑπάρχειν communem hic  
 significationem τὸ esse vel existere retinet, unde non satis apte Joh.  
 Crellius in *Comment. in b. l.* suis Operibus inserto πολίτευμα per *conver-*  
*sationem* exponens, reliquis verbis ἐν ἑρανοῖς ὑπάρχει consonantiam illi-  
 us ac conformitatem cum cœlis h. e. incolis cœli vult intellectam.  
 Quamquam enim talia negari nequeant, per verba tamen ea proxime  
 significata fuisse, nemo facile affirmabit. Vid. §. præc. dicta.

§. 8. Εξ ἧ unde. Ad quid referri debeat, Interpretēs non conveniunt.  
 Erasm. Schmidius *Annot. in N. T.* refert ad πολίτευμα, Erasmus Rote-  
 rod. Piscator, Zanchius, Crellius *ad b. l.* subaudiunt τόπ̄̄, unde Calvinia-  
 ni absurde colligunt, cœlorum nomine notari locum aliquem circum-  
 scriptum, a quibus discedunt aliqui, qui ἐξ ἧ quidem ad cœlum referunt,  
 nihil tamen volunt subintellectum, rationem reddentes hanc, quia  
 relativum pronomen sequens sæpe discrepet numero ab antecedente  
 nomine. Aliqui citra necessitatem Solœcismum hic exsculpere mal-  
 lent, de quibus deinceps. Rectius Grotio, B. Stolberg. in *Tractat. de*  
*Solœcism. & Barbarism. pag. 73.* Glassio *Philolog. lib. III. pag. 206.* relati-

vum hoc ad sensum refertur, ac si simpliciter esset ἐν ἔρανοῖ. Cum enim cœlum beatorum unicum saltem πῶς sit, sensus, non obstante, quod illud pluraliter fuerit elatum ad imitationem forte Hebræorum מַשְׁכָּנִים (quæ observatio Bezae est) singularis est. Neque est quod dicas cum Erasmo Schmidio ἐξ ἧς ad πολιτεύματα debere reduci. Præterquam enim quod relativum semper, nisi necessitas aliud urgeat, ita debeat exponi, ut respiciat nomen proxime præcedens, in memorato πολιτεύματι sive demum exponatur per *conversationem*, sive per *ius civitatis*, sive per *vitam civilem*, nullo modo Christum nunc versari indeque rediturum esse dici potest, ut cuilibet vel me tacente patet. B. Lutherus, Emserus, Syrus, Vulgata, Biblia Moguntina, Norimbergensia reddiderunt indifferenter, quod Erasmus Schmidius sic accipit, ut ambigue eos locutos fuisse existimet. *Non enim, inquit, græco textu non inspecto certi esse possumus, an illud UNDE vel germanicum von dannen ad πολιτεύματα vel ad ἐν ἔρανοῖς respectum habeat.* At cum nullum nomen præter πολιτεύματα & ἔρανοῖς præcesserit, & vero πολιτεύματα nullam prorsus loci rationem vel analogiam habeat, ut supra ostensum, ἔρανοῖς vicissim a nobis instar loci cujusdam, (quamvis de cætero locus non sit) concipiantur, ab omni ambiguitate versiones istæ liberæ dicendæ sunt.

§. 9. Quod ad illos qui Scripturam S. hic σολοικίζεν præter meritum affirmant, non inveniunt in textu suæ sententiæ patrocinium. Invenimus enim apud optimos Græciæ Scriptores similem pronominis relativi constructionem. Sic Appianus: ταῦτα μὲν ἐν τριάκοντα ἡμέραις, ἀφ' ἧς ἂν εἰρήνη κριθῆ. Similiter Demosthenes: πέμπτην ἡμέραν εἶναι ταύτην ἐλογίζετο, ἀφ' ἧς, ubi palam est, a relativo non tam nomen præcedens, quam sensum attendi. Nunc oportebit eos dicere, vel ab hisce viris Soloecismum fuisse commissum, vel præsens dictum hoc vitioso genere minime esse foedatum. Cum autem hodie nil solennius sit quam stylum N. T. ob aliqua σολοικοφανῆ nescio, quibus non traducere modis, hac occasione dispicemus: *num stylus N. T. barbarismis & solæcismis sit refertus.* Affirmarunt id, & adhuc affirmant ex Pontificiis multi, ex Calvinianis &

Ar.



Arminianis plures, ex Nostratibus pauci. Nos quamvis N. T. dicti-  
onem quoad indolem geniumque loquendi, cum ea Græcitate, quæ  
in profanis Scriptoribus occurrit, convenire cum Seb. Pfochenio so-  
lidissime a Thoma Gatakero in *Diatrib. de Styl. N. T.* refutato non  
dicamus, vere tamen græcam ac ab omni vitiositatis labe inte-  
gram pronunciamus. Cum enim Spiritus Sanctus non tan-  
tum res & sententias, sed & indolem loquendi cum ipsis verbis  
inspiraverit, non potest non hæc in loquendo vitiositas hominum-  
que Scripturam S. eam ob rem traducentium criminatio in ipsum  
Spiritus S. redundare. Vid. *Respons. ab Amplissimis Theologica scilicet  
& Philosophica in hac Alma Facultatibus, Pl. Rever. Minister. Hamburg.  
Anno 1658.* datum. πρῶτον ψεῦδος multorum est, quod ex Gramma-  
ticorum præceptis de stylo N. T. iudicium ferant. At cum ea con-  
cinnata sint, ex inductione exemplorum non mathematice omnium,  
sed plerorumque, Scriptura S. ex iis non castigari, sed hæc ex illa  
constitui ac perfici debent. Certe si dentur aliqua in N.  
T. singularia, ea non erunt σόλοικα, nisi singulis Authoribus  
classicis singularia quædam habentibus Soloecismos assignare veli-  
mus. Quid multis? nullum in toto N. T. codice dari potest exem-  
plum, quod non aliquo vel unius tantum classici Authoris testimo-  
nio defendi queat. Vid. id ostensum ab Heideggero, Bœclero, Dan.  
Heinsio, ac imprimis a B. Stolbergio l. c.

§. 10. Sed ut ad rem redeamus, dicimur in Textu σωτήρα καὶ κύριον  
Ἰησοῦν χριστὸν ἀπεκδέχεσθαι. Multa vocabulo σωτήρος involvi, jam tum elo-  
quentiæ parens Cicero, quando Lib. 4. in Verrem, quod designare-  
tur nomine σωτήρος, tantum esse dicit, ut uno vocabulo latino expri-  
mi nequeat, observavit. Hoc certum est, σωτήρος nomen nemini nisi  
excelso loco posito, deque rebus humanis bene merito fuisse tribu-  
tum. Sic Antiochus Rex Macedonia vocabatur σωτήρ περὶ πόλιν.  
Sic Castor & Pollux σωτήρες appellabantur, quoniam a nautis in salu-  
tem invocari solebant. Derivatur enim a σῶος *salvus*, quod salutem  
vel det, vel conservet, vel restituat. Quando nunc tribuitur Christo,  
tanto

tanto plus illud importare dicendum est, quanto illustrior est ejus persona. Refutari ergo merentur Calviniani, qui σωτήρης vocabulum Christo vel improprie convenire dicunt, vel si proprie conveniat id saltem respectu salutis temporariæ fieri arbitrantur. At σωτήρης nunquam & nusquam in Libris N.T. Deo tribuitur respectu salutis duntaxat temporalis, sed vel solius æternæ semper, vel utriusque simul. Et Piscator (qui præ cæteris hoc evincere annititur) nullum V. vel N.T. dictum, ex quo contrarium patesceret, proferre potuit. Vid. Feuerborn. *Syntagm. I. Part. II. p. 1218.* De cætero licet Christus ratione meriti sui omnium hominum Salvator sit I. Tim. IV. 10. ad judicium tamen (de quo hic agitur) non veniet ut Salvator universalis, quare discrimine facto inter τὰ Ἰπύγεια Φρογῶντες, & illos ὠντὸ πολίτευμα ἐν ἐρανοῖς ὑπάρχει, horum, non illorum respectu σωτήρης hic appellatur.

§. II. Ac subjungitur statim, eum etiam præterea venturum ad judicium ut omnium *Dominum*. Quid importet κύριος ex suis incunabulis, quæ dedit vox κύριος plenam auctoritatem significans, judicari potest. Est nimirum prima sua significatione summæ auctoritatis ac principatus nomen. Hinc quamvis non exasse cum Hebræorum יהוה conveniat: Illud enim potestatis ac officii, hoc essentialis ac naturæ nomen est; illud analogice prædicatur & de Deo & quibusvis aliis in eminentia constitutis personis, nominatim magistratibus ac heris, hoc non item, nec ex æquo cum voce θεός: interim tamen, nisi textus circumstantiæ aliud velint, nisi is, de quo agitur, Dominus alteri subjiciatur, non facile alius præter ineffabilem & summum Deum, qui Hebræis nominæ יהוה insignitur, intelligendus est. Imprimis si nomen κύριος absolutè, singulariter sine addito restringente aut imminente ponatur, sive tandem articulum habeat, sive non. Nunc cum hæc requisita in Textu nostro præsto sint, veram Divinitatem Christi ex eo probari posse, invictè colligimus. Nec obstat Photinianorum regula Lesbia, quæ ex articuli (quem Scaliger otiosum loqvacissimæ gentis instrumentum  
appel-

appellat *Libr. de Caus. Latin. Lingvæ cap. 75.*) absentia verum & essentialem Deum hand significatum fuisse colligunt. Nam præterquam quod articuli tanta non sit vis & efficacia, ut significatum vocis variare queat, sæpius de tota SS. Trinitate, ut Ephes. IV. 5. vel etiam de Deo Patre ut Coloss. IV. 4. sine articulo enunciatur, num vero etiam hunc & illam verum Deum esse negabunt? Quid multis Socinus ipse Anti-Wiek fol. 368. *ῥῆμα κρείς*, cum pro *Jehova* ponitur, & summum Deum notat, frequentius articulo (quod יהוה He emphaticum respuat) *carere* dicit, cur ergo amplius Christum, qui plusquam centies *κρείς* absque articulo dicitur, verum ac æternum Deum esse inficiantur? Nos ex abundanti Divinitatem Christi ex hoc loco sic probamus: Quicumque 1.) in significatione propria singulariter & absolute dicitur *κρείς*. 2.) est in cælo, rediturus inde ad iudicium. 3.) corpus humilitatis nostræ *ἀυτοπραλογικῶς* in statum gloriæ translatum novis qualitatibus vestiet. 4.) omnia sibi pro omnipotentia sua subijcere potest, ille est verus Deus. Atqui Christus dicitur hoc modo Dominus &c. E. Vid. B. Scherzer. *Colleg. Anti-Socin. Diss. III. p. 34. 37. &c. Fascic. Disput. XI. p. 21.* B. *ὁ πάνυ* Calov. *Oper. Anti-Socin. P. I. p. 179. §. 132. P. II. p. 41.*

§. 12. Quem hæctenus ut Salvatorem & Dominum Apostolus descripserat, nomine proprio jam compellat *Ἰησοῦς*. Quam vocem origine Ebraicam esse, quis est qui ignoret? Derivatur enim a *ישׁוּעַ* *saivavit*, cujus Hiphil est *ישׁוּעַהוּ*, ut *Ἰησοῦς* vi nominis Salvatorem notet. Est enim Salvator noster & ratione *acquisitionis*, quatenus promeruit hominibus remissionem peccatorum & vitam æternam, & ratione *applicationis*, quia, quæ nobis acquisivit, per verbum & Sacramenta decenter iis utentibus applicat, Vid. B. Glass. *Onomatol. Messie Prophetic. p. 170.* B. Pfeiff. *Dissert. Philolog. IX. de Nomine Jesu p. 187.* Joh. Drusius *Miscell. Sacr. Cent. I. Cap. 44.* B. Chemnitius *Libr. I. Harm. Evang. Cap. IX. p. 114.* B. Walther. *Centur. Miscell. Theol. p. 327.*

§. 13. Sequitur cognomen *χρῆστὸς* quod significat *unctum*, a *χρῆω* quod est *ungo*, cui respondet Ebraicum *משׁוח*. Christo enim ut homi-

C

ni

ni Act. IV. 27. a Deo Patre Act. X. 38. per hanc unctionem Ps. XLV. 8. infinita Spiritus S. dona Es. XI. 2. coll. Luc. IV. 18. 19. 20. sine mensura Hebr. I. 9. sunt collata, ut tergemino mediatoris officio, Prophetico, Sacerdotali ac Regio Es. LXI. 1. seqq. fungeretur. Vid. B. Carpzo-  
vii *Disput. Academ. Diss. XXVIII. p. 1427.* De cætero notari meretur, quod nomen *Christi* & ungentem & unctum denotet. Salvator enim quia Deus est, cum Patre & Spiritu S. ungit suam humanam naturam, quia homo autem unctionem istam suscipit. Quare sola caro dici non potest Christus, quia deesset ungens Deitas, nec solus λόγος, quia deesset uncta humanitas, ut adeo merito nomen *Christi* concretum personæ συνθέτης audiat. Confer. Jacob. Martini *Diss. de Messia. B. Glassii Onomatol. Propbet. p. 238. seqq.* B. Feuerborn. *Oper. Fasc. V. Diss. III. p. 777.* B. Geieri *Comment. in Psalm. p. 18. § 1922.*

§. 14. Hunc jam Salvatorem ac Dominum suum fideles in textu ἀπεκδέχεσθαι dicuntur. Est autem verbum hoc compositum ex ἀπὸ, ἐκ & δέχομαι capio, recipio, excipio, ac denotat exserto capite quasi seu intentis oculis (pro ut Syrus interpret hoc per *solicite speramus, intendimus oculos velut in specula satis eleganter expressit*) aliquid cernimus prospicere & sollicitus expectare, qualem ferme levationem capitis Salvator Luc. XXI. 28. innuit. Sed *in quem finem*, inquires, *tam anxie fideles Christum expectant?* nimirum optime norunt Christum eos ex his miseriis ad se recepturum, confer. Luc. I. c. Jam unusquisque in sui liberationem naturaliter fertur, eamque non potest non tam anxie expectare, quam chara ipsi propria vita est. Quare non solum creatura in communi, sed & Apostoli, in quibus sunt primitia Spiritus, congemiscunt in se ipsis, & intentis oculis expectant ademptionem filiorum Dei, redemptionem corporum suorum Rom. VIII. 23. Vide ad h. l. *Magnif. & Summe Reverend. Dom. D. Ittigii, in causa Dei fortiter feliciterque velut heros invictus pro Ecclesia Lutherana pugnantis Disputation. De Creatura Gemebunda.*

§. 15. Ὁς μεταχρηματίσει. Particula Ὁς respicit, quod proxime præcessit, nomen, ac insinuat, transfigurationis nostræ causam efficientem esse Salvatorem nostrum Jesum Christum. Ipsum transfigurationis

gurationis vocabulum ἐμφανώτατον est, indaginis idcirco profun-  
 dioris. Cum autem ex præpositione μετὰ, & χηματίζειν composita sit  
 vox μεταχηματίζειν: nomen χῆμα, a quo utrumque velut simplici  
 dependet, considerandum venit. Occurrit autem χῆμα non nisi  
 quater in universa Scriptura, bis scilicet in N. T. bis & in versione  
 LXX. Interpret. V. T. significatione tamen utrobique diversa. No-  
 tat enim modo *formam ac figuram*, ut I. Cor. VII. 31. modo *gestum ex-*  
*ternum*, ut Philipp. II. 7. modo *speciem*, ut Eps. III. 7. modo *habitum*  
 ut Jerem. XV. 7. Idem notat & apud alios profanos authores, hinc  
 apud Comicos usitata locutio est: παρὰ γὰρ τὸ χῆμα τῆς σκηνῆς *transit*  
*mutaturque scena figura*. Sunt nonnulli, qui nativam χήματος  
 significationem e Mathesi petendam esse autumant. At quanquam  
 negari nequeat vocem χήματος cum suis derivatis in Scholis mathe-  
 maticis non infrequentem esse; quos enim communiter phases lu-  
 næ vocare solemus, alio nomine σχήματα nuncupantur, dispositionem  
 orbium cœlestium *Schematum* venire nomine, vel in vulgus notum  
 est. Ipsi Ptolomæo stellarum configurationes συσχηματισμοὶ salu-  
 tantur, figuras geometricas varios μεταχηματισμὸς sustinere ut v. g.  
 ex quatuor triangulis fiat pyramis, quis ignorat? digitum tamen huc  
 intendisse Paulum, non facile crediderim. Præterquam enim quod  
 hoc simile non satis huc quadret, popularia magis & vulgo nota  
 quam sublimia quadantenus ac intellectu difficilia venabatur Apo-  
 stolus. Sicut autem inter σχῆμα & ἔξω, quanquam ex una radice  
 (prout hodie est) descendant, libenter aliquod discrimen admitta-  
 mus, tale sc. quale datur inter ipsum *predicamentum habitus*, & inter  
*habitum*, prout est species quædam *qualitatis*: ita vicissim inter μορφήν  
 & σχῆμα tale, quale præterit Chrysostomus in *Comment. ad Epist.*  
*Roman. Tom. IV. Opp. fol. 237.* nos non animadvertere ingenue fate-  
 mur. Existimat enim μορφήν semper significare formam solidam,  
 σχῆμα vero talem figuram, qua personati in theatro apparent. At  
 hoc discrimen apud profanos authores non semper, in Scriptura  
 vero (cum qua eum loqui decebat) ne semel quidem observatur. Vi-  
 deat. ad h. l. B. Feuerborn. *Fascic. III. Diss. II. p. 417.* Jam evoluto no-

mine σχήματος, quid μετασχηματίζει sit, facile potest intelligi. Quinque enim in sacris literis occurrit, ac quamvis variis subjaceat significati-  
onibus, sensumque habeat modo *scenicum*, ut 2. Cor. XI. 13. 14. 15.  
modo *rhetoricum*, ut 1. Cor. IV. 6. modo *hyperphysicum*, ut in præ-  
senti loco, in unum generalem tamen ii singuli relabi videntur, ut sc.  
sit *transfigurare, in aliam formam traducere, per figuram transferre*.  
Quantum ad præsens oraculum, importat illud 1.) *non nudam a cor-  
ruptione liberationem*, ut voluit Theophylactus, 2.) *non substantialem  
mutationem*, quasi in resurrectione corpora nobis donanda sint sub-  
stantiæ ratione prorsus spiritualia, illud enim ut ἀφιλόσοφον, ita &  
ἀθεόλογον est. Confer. hac de re Sect. III. Quæst. V. 3.) *nec quantita-  
tivam*, quasi corpora singulorum fidelium vel ad staturam Christi,  
ut voluit Lombardus, vel in eam formam quam habituri fuissent, si  
super vixissent juvenes, ut voluit Augustinus, transformanda sint,  
illud enim tacente Scriptura tuto non est asserendum, hinc Theo-  
doretus ad h. l. annotat, corpora nostra conformia fore corpori Chri-  
sti ἡ κατὰ πρόσον, ἀλλὰ κατὰ ποῖον. Videat. B. Meisneri *Philosoph.*  
*Sobr. P. I. Sect. III. Cap. II. quæst. IV. p. 726.* B. Gerhard. *LL. Theolog.*  
*Tom. VIII. p. 420. Sed 4.) qualitativam*, quæ corporibus, omnibus ante-  
hac calamitatibus expositis, spirituales dotes & proprietates indet,  
ut scilicet ex corruptibilibus faciat incorruptibilia, ex passibilibus  
impassibilia, ex ψυχικοῖς πνευματικά, non *sensu Sociniano* & *ratione*  
*quidditatis*, sed *biblico, ecclesiastico* & *ratione qualitatis*. Eleganter  
hic μετασχηματισμός illustrari potest ex μεταμορφώσει (sunt enim Sy-  
nonyma) Christi super montem Thabor facta Matth. XVII, 1. 9. Ad  
quam Anselmus ita: *Christus transfiguratus est non substantiam car-  
nis amittendo, sed gloriam futurae resurrectionis ostendendo.* & D. Hie-  
ronymus: *nemo putet (Christum) pristinam formam ac faciem perdi-  
disse, vel amisisse corporis veritatem, & adsumpsisse corpus spirituale  
vel aereum.* Sed quomodo transformatus sit, Evangelista demonstrat,  
*dicens. resplenduit facies ejus sicut Sol, vestimenta autem ejus facta sunt  
alba sicut nix.* Pari ratione corpora glorificanda per glorifica-  
tionem non perdent, quam hic habuerunt, substantiam, sed multis  
axio.

axiomatibus extraessentialibus aucta, reddentur illustriora. Sed de his plura tradet Sect. II.

§. 16. Τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν i. e. ταπεινωθὲν. Spiritus S. enim Græcam N. T. linguam ad Ebraicæ V. T. genium ac indolem inflexurus adhibet constructiones Ebræis usitatas, qualis est hæc, quæ duo substantiva junguntur, quorum posterius adjectivi vices sustinet. Idem de vocibus mox subsequens τῶμα τῆς δόξης dicendum est. Nam & hic Ebraismus obtinet. Illud Ebræus per ענות גוית hoc per גוית הור reddidisset. Syrus emphatice vertit per *pagro dmucocan corpus vel cadaver* (מָוָה עִנְיָהוּ enim Ebræis cadaver est) *demissionis*, quibus innuit & summam, in quam nos cecidimus exilitatem ac tenuitatem, & idem numero corpus Subjectum fore transfigurationis, quod in cineres abiit ac vermium esca fuit. Tres autem ob rationes corpus nostrum ταπεινωθὲν dicitur 1.) ob inhærens peccatum. 2.) ob varias calamitates corpori contingentes. *Multa enim nunc patitur corpus, vincitur, verberatur, innumeris casibus obicitur, ob eam rem humiliationis corpus est*, inquit Theophylactus in *Enarration. in Epist. Pauli*. 3.) ob corruptionem, quæ fit in morte ac subsequente cinefactione. Grotius hic observat nomen ταπεινώσεως, quod alias *animi demissionem* notaret, hic usurpari pro vocabulo ταπεινότης *vilem & tenuem sortem* significante. Præterea notante B. Glass. *Philol. S. Libr. III. p. 35.* Singularis σῶμα pro plurali ponitur, locutus enim hucusque fuerat de pluribus, quo innuitur ταπεινώσιν modo memoratam omnibus corporibus peræque accidere, ac si unicum ταπεινώσεως Subjectum foret. Bernhard. *Sermon. 47. in Canticum: Vocat, inquit, corpus humilitatis, quia soli humiles hac gloria reformabuntur.* Sed hoc non est literale nec genuinum.

§. 17. εἰς τὸ γενέσθαι ἀπὸ σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αἰνῶ. Deprehenditur hic idiotismus græcus, quo circumscribi solet conjunctio causalis ἵνα vel ὅπως. Similia vide Matth. VI. 1. Rom. I. 20. IV. II. 18. I. Cor. XI. 22. 33. 2. Cor. IV. 4. Ephes. I. 12. Sequitur σύμμορφον, quod explanaturi prius in vocem, ex qua componitur, μορφῆς devolvimur. Significat autem μορφῆν *formam, imaginem, conditionem, statum, &*

discernitur sic ab ἔσσει & Φύσει, quod ἔσσει sit essentia nuda & simplex, Φύσις superaddat proprietates naturales & essentielles, μορφή vero insuper includat accidentia, quibus quasi coloribus ἔσσει & Φύσις depinguntur. Vid. Meisner. *Christol. Diss. I. §. 10. Cap. I. p. 5.* Jam quid importet σύμμορφοι εἶναι (quod non nisi semel adhuc sc. Rom. VIII. 29. in S. literis occurrit) facile potest intelligi. Significat nimirum corpora nostra corpori Christi non in essentia, vel proprietatibus naturalibus, sed in accidentibus quibusdam, iis nimirum, quorum per resurrectionem ex mortuis factum est particeps, conformari debere. Vocatur enim corpus Christi σῶμα τῆς δόξης i. e. δόξαθεν *glorificatum*, non ratione illius gloriæ, quam accepit vel per unionem personalem, vel etiam per sessionem ad dextram Dei, sed in quam per resurrectionem suam fuit erectus. Profligatur hinc illud opinionis portentum, quo aliqui docebant, in resurrectione corpus nostrum transformandum in globum, ut sit instar corporis solaris, eo quod scriptum sit: *fulgebunt iusti sicut sol.* Nec enim talis sc. rotunda erit figura corporis humani, nec talis est corporis Christi gloriosi. Quæ hæresis Origeni adscribitur, atque damnatur a Justiniano Imperat. in *Constitut.* ut refert Baronius *Tom. VII. in Ann. Christ. 538. p. 289. 293.*

§. 18. Κατὰ τὴν ἐνέργειαν τῆς δύνανθαι αὐτὸν καὶ ὑποτάξαι ἑαυτῷ τὰ πάντα. Fundamentum hujus transformationis allegat omnipotentiam Christi, qua omnia, consequenter & mortem & corruptionem sibi subicere planeque subjugare potest. Quid significet ἐνέργεια, *Damasceus* explicat *Lib. III. Orthod. Fid. Cap. XV.* definiendo eam *tum per operandi facultatem, tum per ipsum motum efficacem, b. e. operationem, per quam ὁ ἐνεργῶν constituitur actu operans.* Quantum ab energemate vel apotelesmate differat, tum ipse *Damasceus l. c.* tum & *Nostrates Theologi* in explicando tertio communicationis genere, declarant. Τῆς δύνανθαι, observante *Grotio* pro eis τὸ δύνανθαι positum est. Sic enim τῆς sæpe sumitur in *Epistolis Paulinis.* Emphatice vocem ὑποτάξαι εἰς adhibet, exprimit enim *Ebræam phrasin שותחת רגליו* Ps. VIII. 7. de Christo adhibitam, significat ordinariam quandam sub-

sub-



subjectionem, qualis est inter Deum & hominem Jacob. IV, 7. inter Christum & Ecclesiam Ephes. V. 24. inter Christum & angelos 2. Petr. III. 22. Luc. X. 17. inter Magistratum & subditum Tit. III, 1. Rom. XIII. 1. inter virum & mulierem Coloss. III. 18. Ephes. V. 22. inter Dominum & servum, 1. Petr. II. 18. inter Pastorem & auditorem Ebr. XII. 9. inter senem & juvenem 1. Petr. V. 5. ac infert *tum* reverentiam cordis, oris & gestus, *tum* obedientiam sine resistentia. Quod indicio est, tantam potentiam habere Christum hominem ex unionis personalis gratia, ut ne Deus Pater quidem alia & majori gaudeat. Eadem enim phrasæ quæ hic de Christo enunciantur, alibi Patri tribuuntur. Sic ἐν ἑσπέρεια Ephes. I. 19. Coloss. I. 29. tribuitur Patri. Sic & Patri ὑποτάσσεται dicuntur omnia Jacob. IV. 7. 1. Cor. XV. 27. 28. Per τὰ πάντα intelligit non saltem omnem creaturam, sed & mortem, corruptionem ac Diabolum ut est malus, quæ per hominum peccata demum invec̄ta sunt. Cæterum de persona omnia sibi subjiciente arripio sententiam Theophylacti, quam proposuit in suis *ad Apost. Paul. Enarration. ad. h. l.* Quærit enim, *quis vero subjecit Christo omnia?* & respondet: *nonnulli asseverant, quod Deus & Pater subjecerit ipsi Christo omnia. Cæterum inconsequens illud est, non enim supra dixit de Patre. Rectius igitur de Christo hoc intelligit, qui per virtutem divinitatis subjecit ipsi, corpori suo videlicet omnia. Non enim metuemus, ne quando diducamus Christum, unum enim novimus ipsum, etiam in diversitate naturarum.*

## *Sectio II. Aphoristica.*

De

### *Μετασχηματισμῶν Fidelium.*

Aphorism. I. *Corpora beatorum non solum bonis toti composito communibus, sed & bonis corporum propriis in aeterna vita fruuntur. De bonis toti composito communibus non multum erimus nunc solliciti, quandoquidem singula eorum partim ad ipsum corpus diserte restringuntur, partim sine corpore fieri vel recipi nequeunt, ut ex inductione omnium manifestum est. Potius id agemus, ut & argumentis insitis, & aliunde assumptis adstruamus, corporibus beatorum*

**rum**

rum per glorificationem accedere quoque bona gloriae propria. Id u  
 haud difficulter probabitur 1.) *ex presenti textu.* Sic enim argumen-  
 tamur: Si corpora fidelium humilitatis aliud σχῆμα & quidem τῆς δό-  
 ξης, quale Christi corpus inde a resurrectione sua possedit, post redi-  
 tum Jesu Christi Salvatoris ac Domini nostri in has terras ab eo nan-  
 ciscentur, sequitur illa peculiaribus qualitatibus afficienda esse. Sed  
 verum est prius. E. & posterius. Major probatur, quia μετασχηματίζειν  
 ut diximus *Sect. I.* notat mutationem non in substantia vel quantitate  
 sed qualitate. Minor totidem fere verbis in textu est. 2.) *ex 1. Cor. XV. 42.*  
*43. 44.* Si enim corpus, quod seminatur ἐν φθορᾷ, ἐν ἀτιμίᾳ, ἐν ἀδυναμίᾳ ut  
 ψυχικὸν resurget ἐν ἀφθαρσίᾳ, ἐν δόξῃ, ἐν δυνάμει, ut πνευματικὸν,  
 sequitur, quod corporis nostri qualitates sint immutandae, meliori-  
 bus in deteriorum vicem succedentibus. Sed verum est prius. E.  
 posterius. Majoris quidem consequentiam non admittunt Socini-  
 ani, quia in voce πνευματικὸν non quod pueri in faba se invenisse pu-  
 tant. Videat. Volkel. *Lib. III. de V. R. fol. 138.* At πνευματικὸν nunquam  
 in Scripturis, nec etiam alibi facile (est enim adjectivum) *Spiritum*  
 notat, sed *Spiritualibus qualitatibus praeditum.* Videat. B. Mart. Luther.  
*Enarration. 1. Cor. XV.* & alter Martinus, Chemnitius scilicet, *Libr. de*  
*Duab. Natur. in Christo Cap. XXX. p. 475.*

Aphorism. II. *Causa efficiens transfigurationis corporum nostrorum De-  
 us est, & speciali quidem ratione Christus.*

DEUM essentialiter consideratum hujus rei causam esse,  
 probatur *tum* ex eo, quia μετασχηματισμὸς iste est opus ad extra. At  
 haec opera indivisa, h. e. communia sunt omnibus tribus Deitatis  
 personis, salvo tamen earum ordine ac discrimine, *tum* quia ἐνέργεια  
 per quam Christus hoc transfigurationis opus conficiet, ea ipsa est,  
 quae & Patris & Spiritus S. est, *tum* quia qui Christum transfiguravit  
 & nos transfiguraturus est, 1. Cor. VI. 14. at Pater transfiguravit Chri-  
 stum Act. III. 13. Joh. XII. 28. XIII. 32. XVII. 1. 5. & Spiritus S. Joh. XVI. 14.  
 E, Dixi vero notanter: *causam efficient. peculiari & speciali ratione esse*  
 Chri-

Christum. Id quod sic intelligi debet. Tota **SS.** Trinitas μετασχηματισμῶ  
nostri causa est ratione principii agendi, Deus Pater respectu originis &  
ordinis, Christus vero in assumpta humanitate appropriative & termi-  
native. Sistitur hic autem Christus 1.) ut in cælo residens. Venturus e-  
nim est de cælo, ergo jam, cum nondum exinde venerit, in cælo re-  
sudet. 2.) ut adventum ejus ad judicium accelerans. Fideles enim eum  
vehementer expectant, ergo non morabitur, nec adventum suum  
in longum differet. 3.) ut multis elogiis ornatus. Vocatur enim Sal-  
vator, ac Dominus noster Jesus Christus. 4.) ut glorificatus. Habet  
enim σῶμα τῆς δόξης. 5.) ut benevolus. Nostram enim corpus ad  
similitudinem sui corporis efformabit. 6.) ut omnipotens, qui sibi  
subjicere potest omnia. *Causa promerens* est universum ejus meri-  
tum, nominatim μορφή τοῦ θεοῦ (ταπεινώσεως) vel ut alio nomine μορφή  
effertur, ἡμᾶς ὡς ἀνθρώπους Philipp. II. 7. 8. per quam fidelibus μορφήν  
τῆς δόξης h. e. insignem illum, de quo nunc commentamur, μετασχη-  
ματισμὸν meruit. Accedit ipsa Christi glorificatio, quæ, cum tota  
Christi vita nobis cedat in usum, & ipsa, ut glorificaremur, effecit,  
confer. Rom. VI. 5. VIII. 17. 1. Petr. IV. 13. imprimis 2. Tim. II. 10. ubi æ-  
terna gloria beatitudini velut accidens essentiali contradistingui-  
tur. *Causa movens* est vel interna vel externa. Interna est gratia Dei  
mere gratuita, excludens & hic omne omnino operum humano-  
rum meritum. Ubi obiter moneo, hunc μετασχηματισμὸν per se non  
esse referendum ad gradus gloriæ accidentales, sed inter ipsa bona  
interna vitæ æternæ collocandum. Vide id observatum  
a B. Königio, Calovio, Qvenstedio, Gerhardo. Notum enim est,  
ipsam beatitudinem essentialem dari aliis de causis proximis, quam  
gradus seu accidentia gloriæ. Illa enim soli fidei, hi vero ex liber-  
rime divinæ benignitatis dispensatione, diversitati laborum ac ope-  
rum, promissi sunt, quo collineat Apolog. Aug. Confess. quando fol. 95.  
opera bona facienda esse dicit propter præmia, quæ gratis promissa sunt  
atque proposita. Vid. B. Hülsemann. in Breviar. p. 1097. Quare studio  
dixi, gratiam Dei ita esse causam nostræ glorificationis, ut simul o-

D

mne

omne meritum operum bonorum excludatur. Consideramus enim μετασχηματισμὸν, non ut in aliquibus suos gradus habet, sed ut per se est, quo respectu ad essentialia vitæ æternæ pertinet. Externa est extrema corporis nostri infirmitas, per σῶμα ταπεινῶσως significata. Hæc enim, cum corpus nostrum indignum reddere judicaretur, quod in cœlum recipiatur, Dei que visione ac angelorum consortio fruatur, eo commovit Deum, ut de μετασχηματισμῶ nostro gratiosum ab æterno ferret decretum, idque suo tempore in verbo nobis patefaceret.

**Aphorism. III. Fundamentum hujus μετασχηματισμῆς est Christi Θεωπύου omnipotentia.**

Nam si Christus corpora nostra transfigurabit secundum efficaciam, qua omnia sibi subjicere potest, (quæ periphrasis est omnipotentia) sequitur, omnipotentiam Christi esse principium ac fundamentum illius μετασχηματισμῆς. Ratio, quia particula κατὰ, secundum, hoc sensu accepta, nota quædam characteristica principii, cui ceu supposito innititur effectus sit. Atque verum est prius. E. & posterius. Cum autem Christus sit nomen συναμφοτέρον, utramque naturam, ut jam supra dictum, insinuans, facile colligi est, assertam ἐνέργειαν ad divinam & humanam pertinere. Et de divina quidem dubium non est, quandoquidem, qui sine addito restringente κύριος vocatur, ut plenarium & numeris omnibus absolutum κύριος h. e. auctoritatem, potestatemque habeat necesse est. At num hæc ipsa per ἐνώσειν ὑποστατικὴν humanitati Christi fuerit communicata, profundioris est indaginis. Calviniani ut non nisi Synecdochicam idiomatum, communicationem admittunt, ita periculum hypothese suæ ex præfenti textu imminens averfuri, eam potentiam non tribui humanæ Christi naturæ, obvertunt. At tribuitur ea Salvatori, quem expectant e cælo venturum. Adveniet autem Christus Servator e cælo secundum humanam naturam. Ad hæc sine dubio secundum eam naturam sibi subjicere potest omnia, secundum quam omnia data ipsi sunt in manus, omnia subdita sunt pedibus ejus. At hæc de Christo dicuntur ratione humanæ naturæ Joh. III. 35. Psalm. VIII. 7. 1. Cor. XV. 27. Ebr. II. 8. Plura tradet Sect. III. Quest. VIII. Apho-

Aphorism. IV. *Subiectum μετασχηματισμῶν sunt fideles, corde suo iam in cælo conversantes, ac Salvatorem suum exinde venturum multis gemitibus expectantes.*

Notum est ex Metaphysicis, Subjectum esse vel *Quod* vel *Quo* Subjectū *Quod* sunt fideles modo descripti, Subjectum vero *Quo* corpus eorum ταπεινώσεως est Prius ita patet: *Quicumque* transfigurationē principaliter & ultimo in se recipiunt, illi sunt subjectum transfigurationis *Quod*. Atqui fideles, hoc modo descripti, transfigurationem &c. E. Minor prob. quia transfigurationem istam voce ἡμῶν ad se, non ad illos ὧν τὸ τέλος ἀπώλεια vers. 19. (alias dixissent αὐτῶν) pertinere affirmant. Improbi enim, ut non V. Æ. ita ne huius transfigurationis fient participes. Posterius sic evinco: *Quicquid* est pars suppositi, secundum quam ei convenit transfiguratio, illud est subjectum transfigurationis *Quo*. Atqui corpus ταπεινώσεως est &c. E. Quærere hic aliquis poterat: *an* & anime beatorum μετασχηματισμῶν istum receptura sint? Nobis, ut ut hac in parte nil definitum a Theologis fuerit, negativa tamen sententia multis rationibus videtur probabilior. 1.) quia Paulus in nostro textu tantummodo corporis transfigurandi mentionem facit. 2.) quia μετασχηματίζειν significat qualitates plane mutare, novasque in locum veterum surrogare. At qualitates animæ non immutabuntur, sed sublata imperfectione perficientur, non enim e.g. cognitio Dei divinorumque mysteriorum suo modo perfecta, inchoataque voluntatis ac appetitus rectitudo cum alia qualitate commutabuntur, sed saltem perficientur, ac in meliorem statum eveherentur, 2. Corinth. XIII, 10. 12. ut v.g. e cognitione suo modo perfecta fiat omnium perfectissima, ex inchoata voluntatis rectitudine fiat consummata &c. at qualitates corporis revera immutabuntur, ut e.g. e corruptibilibus fiant incorruptibilia, ex animalibus spiritualia, ex deformibus formosa &c. Patet ex his aliud esse *perfici*, aliud *transfigurari*, item, per talem transfigurationem in melius corpora quidem perfici, non tamen vicissim a perfectione ad transfigurationem concludi debere. 3.) quia Christus, cum transfigureretur in monte Thabor, non alias qualitates animæ (nil enim de iis legimus) sed corporis, indeptus est. Et posito, quod

e. g. ipsius scientia spiritualis (hæc enim sola poterat) aliqua per hanc irradiationem acceperit incrementa, num animam propterea transfigurata fuisse, h. e. abolitis pristinis qualitatibus, novas accepisse dicemus? Sed de his satis, senserint alii quicquid volent. Id obiter observo subjectum: Quo & Objectum, ut alias, ita & hic, coincidere, unde non est, cur de Objecto peculiariter agamus.

Aphorism. V. *Forma μετασχηματισμῶν consistit in abolitione deteriorum veterum, & surrogatione novarum ac meliorum qualitatum.*

Probatur id e textu hunc in modum: Si corpora nostra per transfigurationem conformia reddi debent corpori Christi glorificato, sequitur, quod μετασχηματισμὸς consistat in abrogatione deteriorum veterum, & surrogatione novarum ac meliorum qualitatum. Ratio, quia Christi corpus manente quidem substantia, sed non qualitatibus veteribus, alias prioribusque plane contrarias qualitates per transfigurationem nactum est, jam si corpori Christi conformari debent corpora nostra, ut absorptis veteribus qualitatibus novæ in earum locum succedant, ac μετασχηματισμὸς in eo, quod diximus, consistat, necesse est. Cum autem commodior de dotibus corporis glorificati differendi locus forte non detur alibi, subsistamus hic paululum, ac expendamus brevibus qualitates, non illas quidem, quæ per μετασχηματισμὸν abolendæ sunt, sed quas cum corpore Christi communes habere debemus. Quot earum sint, non adeo convenit inter Theologos. Alii enim quatuor, alii septem, alii octo, alii decem, alii plures constituunt, nec id mirum esse debet cuiquam, cum earum quidditas, perinde ac ipsa V. Æ. in hac vita nec exacte sciri, nec definiri queat. B. Gerhardus, & qui eum sequuntur, undecim nominant, quo numero cum hactenus inventus non sit melior, eundem & nos observare constituimus. Dicimus ergo, corpora beatorum fore 1.) *spiritualia*, non *essentia*, corrueret enim alias resurrectio identica, sed *qualitate*, quæ instar Spirituum nec bibent, nec comedent, nec dormient, nec generabunt, nec videri nec palpari, nec loco physico circumscribi vel corrumpi queunt. Quare spiritualitatem non tam peculiare

bo-

bonum, quam plurimorum ex spiritualitate fluentium bonorum  
 complexum esse existimo. Sed in his simus faciles. Intelligitur au-  
 tem h. l. spiritualitas, *quatenus facit ad beatitudinem*. Sunt enim, ut ob-  
 servat B. Gerhard. *LL. Theol. Tom. IX. de V. Æ. p. 316.* quædam qualitates  
 omnibus resuscitatis tam piis quam impiis communes, inter quas  
 etiam est spiritualitas, quæ ideo damnatis fuit concessa, ut semper  
 quidem urantur, nunquam tamen comburantur. 2.) *immortalia*, im-  
 mortalitate non *independente*, quæ cadit in solum Deum, sed *depen-*  
*dente*, non *ordinata* & *ad certam mediam restricta*, qualis erat Adami in-  
 tegri, sed *absoluta*, non *naturali*, qualis est Angelorum & animarum,  
 sed *hyperphysica*, non ut est loco *pœna*, sed ut *facit ad æternam beatitu-*  
*dinem*. Quanquam autem in beatis qualitates quatuor elementor-  
 rum sint (juxta communem Scholasticorum sententiam) ratione  
*actus primi*, non erunt tamen ratione *actus secundi* & hostilis impu-  
 gnationis, ut nimirum calor natus agat in humidum radicale, & vi-  
 ceversa hoc in illum. Vid. Thomas. 4. Sent. dist. 44. q. 2. 3.) *impassibilia*,  
*tum*, quia qualitates afflictivæ corporum longissime aberunt, Apoc.  
 VII. 16. XXI. 4. *tum*, quia non amplius in iis erit quædam peccati ma-  
 cula 1. Cor. XV. 50. 4.) *clara*, non ac si futura sint diaphana, ut voluit  
 Augustin. *Libr. XXII. de Civit. Dei Cap. XXX.* sed quod fulgebunt ut  
 Sol & Luna, non quod beatorum splendor a splendore solis non di-  
 stingvatur, ut voluit Thomas Doctor Anglicus, sed quod eidem, qua  
 summam claritatem, quodammodo sit similis. 5.) *firma*, quæ nullis  
 morbis, senio, viriumque decremento infestentur, sed e-  
 contrario potentia magna quidem, finita tamen, & potentiæ ac vo-  
 luntati divinæ subjecta, gaudeant. 6.) *formosa*, in beatos enim nulla  
 cadit deformitas, quam facit incongruentia partium, nulla coloris  
 distemperatio, nulla membri cujusdam mutilatio. 7.) *agilia*, ut in  
 momento sese velocissime quocunque voluerint promovere pos-  
 sint. Quod nunc potentiam motricem motusque velocitatem im-  
 pedit, gravitas est. At eam a corpore glorificato separandam esse,  
 præstantissimi quique Theologi affirmant. Vid. B. Luther. *Post. Do-*  
*meft. Fest. Ascens.* 8.) *subtilia*, dimensionum enim penetratio, quæ  
 his

hic impossibilis habetur, illic tantum abest, ut absit, ut potius magna felicitatis pars in ea consistat. 9.) *illocalia*, cum enim cœlum beatorum non sit locus aliquis physicus corporeus, conserventur etiam ac perficiantur, non ut hic mediante loco, sed immediata Dei virtute, sint etiam proprietatibus Spirituum prædita, facile patet, corpora beatorum loco physico corporeo non circumscribi. 10.) *invisibilia*, non enim ab oculis nondum-glorificatis, si qui forent, nisi peculiaris accesserit dispensatio divina, actu ipso videbuntur, quamvis de cœtero nec absolute nec ratione *δυναμεις* invisibilia dicenda sint. 11.) *impalpabilia*, non enim a tangente non glorificato necessario actu tangentur. Quod autem his qualitatibus omnibus corpora glorificata vestienda sint, probatur ex *beatorum cum Christo conformatione* in textu nostro asserta. Est enim id *spirituale*, nec alimenti nec vestimenti indigum, quamvis ex libera voluntatis dispensatione cum Apostolis manducavit Joh. XXI. 15. Luc. XXIV. 43. *immortale* per Rom. VI. 9. 2. Cor. XIII. 4. Apoc. I. 8. *impasibile* Ebr. IX. 28. X. 12. 13. Philipp. II. 9. Zachar. XII. 10. *splendidum*. Cum enim transfiguraretur ac futuræ resurrectioni suæ præluderet, facies ejus resplenduit ut Sol, vestimenta autem ejus candida facta sunt, ut patet ex Mat. XVII. 3. Luc. IX. 31; *firmum*. Postquam enim crucifixus est in infirmitate, vivit in virtute Dei 2. Cor. XIII. 4. *formosum*, est enim pulcherrimus inter filios hominum Psalm. XLV. 3. *agile*, postquam enim resurrexerat, modo erat circa sepulchrum, modo Hierosolymis in medio discipulorum, modo comitabatur euntes Emaunta, modo se recipiebat in Galilæam. Imo si successive & localiter ascendisset in cœlum, ne nunc quidem in cœlum venisset, teste B. König. *Theol. Posit* p. 177; *subtile*, penetravit enim per sepulchrum Marc. XVI. 1. per fores clausas Joh. XX. 19. juxta nonnullos etiam uterum matris clausum ex Esa. IX. 6. *illocale*, non enim aere vel alio quodam elemento extrinsecus ambiente circumscribitur. *invisibile*, disperebat enim discipulis Emaunticis Luc. XXIV. 31. ac aliis quidem se conspicuum præbebat aliis nil videntibus. Confer. Actor. VII. 55. IX. 7. 17. *impalpabile*. Quod enim discipulis se se contrectandum præberet, fiebat, ut Damasc. *Libr. IV.*

Or.



*Orthod. fid. Cap. I. eloquitur, ἡ νόμῳ φύσεως, ἀλλ' οἰκονομίας τρόπῳ ad probandam sc. resurrectionis veritatem. Vid. B. Qvensted. Syst. Theol. P. I. p. 557. seq. B. Scherzer. Syst. Theol. p. 629. B. Hülseman. Breviar. p. 1094. B. Gerhard. LL. Theol. Tom. ult. de V. Æ. p. 316. seq. Chr. Matth. Syst. Theol. min. p. 673. seq.*

*Aphorism. VI. Exemplar ad quod corporum nostrorum μετασχηματισμὸς exigetur, Christi σῶμα τῆς δόξης est.*

Debent enim corpora nostra per transfigurationem corpori Christi σύμμορφα evadere. Jam cum Christus sit ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων 1. Cor. XV. 20. h. e. ut explicatur Coloss. I. 18. *primogenitus ex mortuis, ut in omnibus, consequenter etiam in μετασχηματισμῷ primas teneat, & vero in uno quolibet genere primum sit norma reliquorum, sequitur Christi transfigurationem fore nostræ exemplar ac veluti normam.* Sed hic aliquis scrupulum sibi facere dicereque posset: Si corpora nostra corpori Christi sunt conformanda, & vero corpus Christi est omnipotens, omnipræsens, cultu religioso prosequendum, divina & infinita vi pollet &c. sequitur corpora nostra pariter eadem habitura ἀξιώματα. Atqui verum est prius. E. & posterius. At distingu. inter ἀξιώματα quæ per resurrectionem ex mortuis, & quæ per unionem personalem ac sessionem ad dextram Dei corpori Christi sunt collata. Nimirum corporum nostrorum cum Christi corpore conformatio non erit omnimoda & adæqvata, ut ea omnia, quæ corpori Christi, sive beneficio unionis hypostaticæ, sive per sessionem ad dextram Dei competunt, & ipsa possideant, sed limitata saltem, & acquiescet duntaxat in iis, quæ per resurrectionem ex mortuis in carnem Christi redundarunt. Quibus observatis negatur connexio Majoris. Præterea notari velim, etiam in iis ἀξιώμασι, quæ per resurrectionem ex mortuis corpori Christi obtigerunt, servandum esse certum ordinem ac gradum, ut nimirum corpori Christi multo major claritas, formositas ac firmitas relinquatur, quam reliquorum fidelium corporibus, quæ quæquam & inter se multum claritate gloriaque different. Vid. Menzer. Oper. P. II. p. 1372.

Apho.

Aphorism. VII. *Finis hujus μετασχηματισμῶς sempiterna Dei celebratio, ac suavissima beatorum in bono consecuto ac quiescentia est.*

Quamquam finis μετασχηματισμῶς tam luculenter e Textu nostro deduci nequeat, quam reliqua causarum genera, nihilominus istum, prout jam fuit propositus, & requirit natura rei, nec obscure insinuat Textus. Cum enim Deus tot gloria donis nos instruat, suamque benignitatem non minus quam potentiam satis superque declaret, ut & nos eam glorificemus sempiterna benignitatis ac potentie celebratione, necesse est: cumque nunc fideles Christum transfiguraturum eos tam vehementer expectent, & vero fine complete acqvisito cesset expectatio, ac incipiat suavissima beatorum in bono consecuto ac quiescentia, sequitur, eandem & nos ex μετασχηματισμῶ corporum nostrorum consecuturos.

Aphorism. VIII. *μετασχηματισμὸς est gratuitus Christi Θεανθρωπῶν suos remunerantis actus, quo corpora fidelium per abrogationem deteriorum veterum & surrogationem novarum ac meliorum qualitatuum ita perficiet, ut corpori ipsius glorioso fiant σύμμορφαι, in nominis sui laudem & gloriam, ac suavissimam ipsorum beatorum in bono consecuto recumbentiam.*

Liquet id ex superioribus.

### Sectio III. Polemica.

#### Questio I.

*An Christiani vitam in perpetua quiete exigere debeant?*  
Non est questio, an vitam quietam h. e. pacatam instituere, vel tranquille conscientie studere, vel a cogitationibus terrenorum feriari, vel in promissionibus Evangelicis Christi que merito acquiescere debeant. Illud enim & nos ὁμοθυμαδόν affirmamus. Nec an sedentaria vel solitaria vita ratio amplectenda sit, hoc enim nec illi præcise asserunt, sed hoc est de quo contendimus: Numne Christiani neglectis meditationibus, precibus ac lectionibus sacris, talem quietem affectare debeant, in qua nec intelligentiarum vi, nec affectuum vehementia turbati, solum Deum in se operari patiantur, veritatemque sine discursu aut alia probatione, qua voluntatem ad amorem convincant, assequantur. Et hoc est quod argumentis haud spernendis adjuti pernegamus. Ipse Textus noster

ster

ster fanaticam hanc opinionem diserte refutat, quando *conversati-*  
*onem in caelis* mere practicam commendat. Quare sic concludimus:  
Si conversatio nostra in caelis, quam suo exemplo commendat Apo-  
stolus, mere practica est, sequitur Christianos non exigere debere  
vitam in perpetua, prout fuit descripta, quiete. Atqui verum est prius.  
E. & posterius. Major tam clara est, ut, nisi contradictoria simul  
vera esse statuere velis, eam vel negare, vel saltem in dubium voca-  
re nequeas. Minor probatur ex Sect. I. §. 6. dictis, ubi autoritate  
Patrum Ecclesiae, Sacraeque Scripturae multis asseruimus conver-  
sationem istam practicam esse, praxi sc. tum fidei tum bonorum o-  
perum. Sed liceat etiam alias in medium afferre rationes, quarum  
praecipuae desumi possunt 1.) *ex ipsa religionis natura.* Cum enim  
religio ex fide & charitate constet, & vero fides, dum apprehendit  
meritum Christi practica sit, charitas etiam ob virtutes, quas in se  
continet omnes, non possit non esse negotiosa, sequitur ipsam reli-  
gionem esse practicam, adeoque nullum cum fanatica quiete habe-  
re commercium, opposita quippe meditationibus, actuali mysteri-  
orum cognitioni, precibus ac virtutum reliquarum exercitiis. Porro  
religionis principium normativum est lex & testimonium, h. e. E-  
vangelium (ut quidam interpretantur) Es. VIII. 20. Jam quicquid nec  
in Lege nec Evangelio praecipuum est, illud non est pars religionis  
nostrae, nec ad absolutam perfectionem ducit. At fanatica quietes  
nec in lege praecipua est, lex enim perpetuo *fac* urget Gal. III. 12. Luc.  
X. 28. nec in Evangelio, siquidem illud homini peccatori cuique *to*  
*crede* injungit Act. XVI. 31. Rom. X. 9. at fides justificans, ut jam dictum,  
ultimato practica est. E. 2.) *ex impossibili.* Cum enim Adversarii talem  
quietem exigant, qua intellectus ab omnibus imaginationibus a phan-  
tasia profectis liber sit, voluntas ab appetitu sensitivo non subju-  
getur, affectus non regnent, homo sine discursu veritatem assequa-  
tur, & vero talia praesertim in hoc corruptionis statu absolute im-  
possibilia sint, patet hominem Christianum quem Christus ab omni  
servitute liberavit, ad haec non adstringi. 3.) *ex analogia fidei,* quae ad-  
missa semel hac hypothese vel tota corrueret. Nam ut reliqua tace-

E

amus

amus, hæc contemplativa Fanaticorum quies *S. Scriptura* lectionem pessundat, efficaciam aufert, *Deum* aliterquam est considerat, *viribus homini naturalibus* nimium in spiritualibus tribuit, *tentationes* promiscue omnes negat, *preces* improbat, in locum *mediorum salutis* aliud, quod ceu perfectissimum opus deprædicat, substituit, *labores* abolet, ac ut uno verbo exprimam, *universo fundamento fidei* perniciem minatur. 4.) *ex hominum sanctorum exemplo*. Quotquot enim eorum fuerunt, commendantur, non ob fanaticam hanc quietem, sed ob fidem & bonorum operum exercitium. Vid. Genes. IV. 4. collat. cum Hebr. XI 4. Genes. XV. 6. Cap. XVII. 23. XVIII. 23. XXII. Rom. IV. 17. Jacob. II. 21. Genes. XXIV. 63. XXXII. 30. Deut. XXXII. Psalm. I. 2. Reg. XXII. XXIII. Es. LXIV. Jerem. XV. 15. seqq. Dan. VI. 11. Luc. VIII. 39. Matth. IV. 14. 2. Tim. I. 3. Act. XX. 7. seqq. Coloss. I. 9. Et cui tam omnis iudicandi potestas adempta est, ut falsitatis cineres hic latitare non advertat? Nihilominus inventi haud pauci sunt, qui pulchra Theologiæ mysticæ facie fascinati, contrarium magno molimine propugnare conati sunt. Nam ut ejus initia referam, Michael de Molinos gente Hispanus, officio Sacerdos anno præcedentis seculi (ni fallor) 85. librum cui titulus: *Manuductio spiritualis* in lucem emittebat publicam, quo Sectatoribus suis a rebus secularibus abductis, & sanctis contemplationibus indulgentibus, veram *quietem animi*, unde nomen *Quietistarum* sortiti sunt, pollicebatur. Ut ut autem is una cum sociis perpetuo carceri manciparetur, basiatores tamen suos haud paucos invenit, quo factum, ut, quem Italico sermone ediderat librum, aliquis ex eorum numero, qui præpostero pietatis studio abrepti, reformandæ Ecclesiæ consilia capiunt, haud sine omine latinitate donaret, ac Lipsiæ typis imprimi curaret. Scilicet decebat id hominum genus, ut quo tenderent, mature significarent. Sicut enim nomine, ita nec re ipsa parum ab iis differre volebant. Utrique prima stamina Platoni, incrementa Theologiæ mysticæ debent. Illum digni tanto parente filii, ut divinum Aristoteli, hanc ut diviniorem vel Theologiæ Didacticæ præferunt. Utrique Fanaticismi accusati, & jam convicti sunt:

sunt:

sunt: Illum inquisitio Romana, hos Ecclesia de ratione reddenda compellavit. Sed ut nec ille, ita nec hi eo se redigi passi sunt. In hoc uno dissentiant, quod ille neglecta omni fidei virtutumque praxi enthusiasticam hanc quietem commendat, hi vicissim vitam practicam acerrime quidem exigant, supremam tamen perfectionem in introversione & elevatione mentis, quæ nihil aliud est, quam modo dicta quies, collocent. Sed ne de injuria sibi illata conquerantur, non me is, sed Antesignani verbis rem eloqui constitueram. Verum tædet Academicæ Disputationis faciem tot λεπτολογίαις vernaculis, quibus plurima ejus scripta confarcinata sunt, ut sc. in omnibus tonstrinis ac muliercularum ad colum sedentium tabernis legi, illorumque, quam præ se ferunt, specie, mentes innocuæ seduci queant, deformare. Videatur itaque Celeberrimi Frid. Christ. Bucheri solidissimus de *Platone redivivo* Tractatus, ubi passim, in primis pag. 47. 49. 52. seqq. loca huc facientia ex ejus scriptis allegat, strictimque refutat. Cæterum de ipsis Quietistis conferri meretur elegantissima Dn. M. jam Licentiandi Joh. Guntheri Disputatio de *Religione Quietistarum* sub B. Carpzovio, cujus etiam Disputationibus Academicis p. 536. inserta est, habita, nec non Venerand. Dn. D. Phil. Ludov. Hannekenii, Præceptoris nostri honoratissimi, Dissertatio de *Tranquillitate animi*, quibus junge B. Thomasi *Schediasma historicum de Theologia mystica* multijuga eruditione repletum.

### Questio II.

*An Christus secundum humanam naturam sit omnipræsens?*

Cum hoc doctrinæ caput propter varia sententiarum divortia valde perplexum sit, operæ videtur pretium, brevibus indagare κενόμηνον. Quæritur autē 1.) non an Christus juxta divinam naturam, vel ratione personæ, in qua caro subsistit ubique sit, hoc enim admittunt adversarii, sed an etiam ipsius humana natura? 2.) non an in statu exinani-tionis, de eo enim & inter Nostrates Theologos deprehenditur aliquod disfidium. Alii enim affirmativam, ut B. Hunnius Script. German. Die nöthige Verantwortung p. 14. B. Hutterus in Form. Concord. Art. VIII. B. Brochmand. in System. Theol. Tom. I. pag. 316. seqq. im-

primis B. Scherzerus in *Syſtem. p. 223-228*. Alii viciffim negativam vel ſimpliciter, ut B. Daanhaer. *Hodoſoph. p. 709*. vel ſecundum quid amplectuntur, excipientes nimirum illud tempus, quo Chriſtus homo divinam potentiam exſeruit, ut B. Feuerborn. *Oper. Fasc. I. Diſſ. III. p. 88*. & B. Seb. Schmidius in *Tractat. de Fundament. præſent. Corpor. & Sangvin. Chriſti in S. Cœna p. 268*. nec an in ſtatu glorioſo inter primum & ultimum exaltationis gradum intermedio, ſed, an poſt ſeſſionem ad dextram Dei. 3.) non ſaltem Eccleſiæ, ut aliquando voluit *Hesbuſius & Hoffmannus*, nec etiam iis, quibus velit, creaturis, ut B. Chemnitius & Selneccerus, antequam F. C. lucem videret, ſenſiſſe videntur, ſed an omnibus in univerſum creaturis actu ipſo præſens ſit. confer. *Epitom. Articul. in F. C. p. 608*. Præſentia: 4.) non otioſa ſed *ἐνεργητικῆ*, non locali ex proprietate naturæ rezultante, vel glorioſa per reſurrectionem ex mortuis accepta, ſed infinita, non alia & diverſa ab ea, quæ naturæ divinæ eſt, ſed una eademque cum ea, ut B. Feuerborn. *Oper. Fascic. I. Diſſ. II. p. 83*. exiſtimat, non extenſiva, diſfuſiva, multiplicativa, circumſcriptiva, phyſica, ſed divina, illocali, incircumſcriptibili, cujus *κτῆσι* unio perſonalis, *κεῖσι* univerſalem autem exaltatio ad dextram Dei peperit. (Divortium enim hic facimus tum a Theologis Tubingensibus, qui utramque ab unione hypſtatica deducebant, tum a B. Hunnio, qui *ἀδιαſταſίαν* quidem ab unione perſonali, dominium vero catholicum a ſeſſione ad dextram Dei derivabat.) Quibus rite præmiſſis, quæſitum affirmamus, non numero quidem, pondere tamen argumentorum certaturi. Primum argumentum deſumimus 1.) ex promiſſione Matth. XXVIII. 20. *Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*. Hinc argumentor: Illius naturæ præſentiam pollicebatur Chriſtus, ſecundum quam acceperat omnem poteſtatem in cœlo & in terra verſ. 18. At non ſecundum divinam, ſed humanam naturam, acceperat omnem iſtam poteſtatem. Quodcunque enim idioma Chriſto in tempore datum eſt, id juxta humanitatem aſſumptam datum eſſe intelligi debet. E. Rurſus: Secundum illam naturam ſuam pollicebatur præſentiam, quam Apoſtoli ſibi deinceps de futuram eſſe metuebant.

tuebant. At non divinam, noverant enim Deum non posse non  
 esse ubiqve, sed humanam sibi eripi dolebant. E. 2.) *e sessione ad dex-*  
*tram Dei.* Nam si Christus sedet ad dextram Dei, & vero dextra Dei  
 est ubiqve, sequitur quod & Christus sit ubiqve. Ratio, quoniam  
 alias dari deberet aliquod π̄, ubi quidem sisteretur dextra Dei, Chri-  
 sto tamen simul non exhibito. At verum est prius, *tum* per Matth.  
 XXVI.64. Ebr. I.3.8.13. Ps. CX.1. seqq. Ephes. I.20.21.22.23. Cap. IV.10.  
 Marc. XVI.19. *tum* ex eo, quia dextra Dei notat potentiam virtutem-  
 que vere & mere divinam. Videat. hic præ cæteris B. Dorscheus  
*Pentadecad. Diss. XIII. p. 446. seqq.* Jam cum infinita virtus necessario  
 sit ubiqve, quis dextram Dei, quæ cum ea recurrit non in omnibus  
 omnino ubi esse dixerit? 3.) *e testificatione Christi Joh. III.13. filius ho-*  
*minis est in cælo.* Nunc si filius hominis i. e. Christus homo, ut in-  
 terpretatur Beza, tum, ubi cum Nicodemo loquebatur in terris, ve-  
 re fuit in cælis, sequitur humanam Christi naturam esse omnipræ-  
 sentem, quia S. literæ sic describunt omnipræsentem, quod in cælo  
 & terris simul sit. Confer. Psalm. CXXXIX.7. seqv. Jerem. XXIII.24.  
 Actor. XVII.24. Coloss. I.16.20. At verum est prius. E. & posterius. 4.)  
*ex impletione omnium* ex Ephes. IV.10. Nam secundum quam natu-  
 ram Christus omnes penetravit cælos, ut impleret omnia, secun-  
 dum eam omnipræsentem est. Ratio quia omnipræsentia describitur per  
 impletionem omnium 2. Reg. VI.18. Jerem. XXIII.24. Sap. I.7. At se-  
 cundum humanam naturam &c: ea enim sola loco moveri poterat.  
 E. Nunc Adversariorum argumenta perlustrantibus, prima statim  
 fronte comparet aliquod, ex ipso textu nostro petitum. Quæ causa  
 fuit, ob quam hujus quæstionis evolutionem susceperimus, eandem-  
 que juxta Scripturæ Librorumque Symbolicorum normam decide-  
 rimus. Argumentantur autem hunc in modum: Qvicunqve a.)  
 nunc in cælo præsto est. b.) aliquando de super veniet ad judicium.  
 γ.) in certo quodam π̄ corpora beatorum transfigurabit. δ.) verum  
 corpus habet. ε.) ac suo corpori glorioso σύμμορφα reddet nostra,  
 ille non est omnipræsentem. Atqui Christus homo nunc in cælis be-  
 atorum est, aliquando &c. E. Consequentiam Majoris probant, *tum*

quia cœlum beatorum, quod hic intelligitur, locus circumscriptus, ve-  
tn. ad minimum  $\pi\tilde{s}$  definitivum sit: jam, qui circumscriberetur, vel sal-  
tem defini- etur spatio, eum nulla ratione ubique sibi posse, *tum* quia  
si esset omnipræsens, non opus haberet, ut in hasterras, in quibus jam  
jam præsto foret, descenderet, *tum* quia si transmutanda sint cor-  
pora beatorum, transfigurerentur a Christo in ali quo  $\pi\tilde{s}$ , &  
non transfigurerentur: transfigurerentur in illo  $\pi\tilde{s}$ , ubi essent, non  
transfigurerentur in alio  $\pi\tilde{s}$ , ubi quidem Christus, sed non corpora  
beatorum essent, quod foret contradictorium, *tum* quia omne ve-  
rum corpus finitum sit, *tum* quia nostra corpora non ubique futura  
sunt. Minorem ex ipso deducunt textu. Sed respondemus ad sin-  
gula. Quod *primum* attinet, falsum est, Christum in textu nostro  
sibi, ut *solum* in cœlo beatorum est. Aliud enim est de cœlo beato-  
rum *solum* redire, aliud in eo *solum* esse. Quamquam negari neque-  
at, Christum ab eo tempore, quo ascendit, in cœlo beatorum  
esse, simul tamen id fatendum est, eum in eo cœlo minime substi-  
tisse, sed & cœlum majesticum, quod ubique est, ingressum fuisse.  
*Illud* habebat per resurrectionem ex mortuis, *hoc* debebatur ipsi per  
unionem hypostaticam. Ex *illo* non ex *hoc* redibit ad iudicium. Nunc  
limitatur Major: Quicumque *solum* & *unice* in cœlo beatorum est,  
ille non est omnipræsens, sic concidit Minor. Cœlum autem lo-  
cum quendam circumscriptum esse, commentum est, ut paulo post  
dicetur. *Alterum* distinctione inter *modum* præsentia Christi *visibilem*  
& *invisibilem* expediri potest. Non sequitur: Si Christus visibiliter de  
cœlo veniet ad iudicium E. non est invisibiliter in terris quoad sub-  
stantiam. Nam a negatione certi modi ad negationem substantia  
N.V.C. *Tertium* prioribus non est melius. Non enim illi, quod  
est ubique, ubique statim actio aliqua tribui potest aut debet. Nam  
e.g. Deus in monte Sinai dedit legem, non in toto mundo, Spiritus  
S. humanam Christi naturam in utero Mariae virginis non in omni-  
bus uteris efformavit: Sic licet humana natura alibi etiam præsens  
sit, recte tamen ea dici potest corpora beatorum in certo quodam  
 $\pi\tilde{s}$  transfigurare. *Quartum* negligit statum controversia, non e-  
nim

nim



nim quæritur, an humana Christi natura ex naturæ suæ proprietate, sed an ex virtute in unione personali sibi communicata omnipræsens sit. *Illud non hoc* veritati ac finitati corporis Christi quicquam derogat. Finitum enim per communicationem actualis ad essentialitatem indefinitam non ipsum evadit infinitum. Vid. B. Calovii *Metaphys. divin. p. 313. Quinto superiore Sectione Aphorism. VI. satisfactum* puto. Tantum igitur abest, ut textus noster adversariis patrosi- netur, ut solidissimum potius pro omnipræsencia contineat argu- mentum. Sic enim colligo: Quicumque *α.)* in cœlo residens, fide- lum in terris omnium est Salvator. *β.)* omnium Dominus. *γ.)* sub- jecta habet omnia. *δ.)* omnipotens est, ille est omnipræsens. Ratio, quia omnipræsencia per τὸ *esse in cœlo & in terra* describi solet, vide supra : deinde qui sic est omnium Dominus, ut dominium illud non absens per alios vicarios, sed per se ipsum exequatur, ille omni- bus necessario præsto esse debet. Porro, qui sibi subjecta habet o- mnia, illi etiam omnia loca subjecta sunt : at quomodo subjecta ei- dem forent omnia, si in certo quodam cœli angulo latens, a pleris- que omnibus abesset. Denique qui est omnipotens, ille ut sit omni- præsens necesse est, tum quia ratio dari non posset, cur communi- cata omnipotentia negaretur ipsi, quæ cum ea ταυτὸ & idem est, omni- præsencia, tum quia non majorem virtutem requirit omnipræsencia, quam quæ requiritur ad omnipotentiam, tum quia omnipoten- tia sensu biblico quoddam omnipræsencia essentialis est. Quibus præmissis facile judicari potest, an hoc argumentum firmiter con- cludat: Christus, ut homo, in novissimo die de cœlo vere redibit. Ergo, ut homo, nobis ante novissimum diem non est præsens in- terris? Plura videantur imprimis apud B. Feuerborn. *Oper. Fascic. I. integro. Fascic. IV. Diss. III. p. 591. Disput. Marpurg. Tom. V. Diss. XXIII. p. 341. seqq. Disput. Giessens. Tom. VII. Diss. XXIV. p. 619. ad fin. Menzer. Oper. Tom. I. p. 470. seqq. Declar. 4. Locor. Theol. p. 16. 41. B. Calov. Exam. Doctrin. Calvin. de Persona Christi Controv. IX. p. 401. seqq. Synops. Con- trovers. p. 286. seqq. Scherzer. l.c. Anti-Bellarmin. Diss. III. p. 186. B. Chemnitius. *Libr. de Duabus Natur. in Christ. Cap. XXX.* B. Hulsemann.*

Ge

Gewissens Bunn p. 209. Form. Concord. p. 783. & 878. Theolog Saxon.  
Haupt-Verteidigung des Augapfels a pag. 522. ad p. 888. B. Gerhard.  
Confess. Catholic. Lib. II. Art. II. Cap. I. §. 4. p. 286. seqq. Disput. Elencht.  
p. 994. B. Olear. Contin. in B. Carpz. Isag. in Libr. Symb. p. 1539. B. Dann-  
hauer. Salve Reformator. p. 474. & 582. B. Joh. Meisner. Exam. Cate-  
chism. Palatin. p. 692. seqq. B. Balth. Meisner. Philos. Sobr. Part. I. pag. 704.  
B. Baldun. Comment. in Epist. Paulin. p. 1197. B. Brochmand. Syst. Part. I.  
Art. de Christop. 800.

### QVÆST. III.

*An cœlum, e quo Christus rediturus est ad iudicium, sit locus aliquis  
circumscriptus?*

In textu nostro dicit Apostolus: *se cum omnibus fidelibus Chri-  
stum de cœlo venturum ad iudicium magnis suspiriis expectare*, ex quo  
colligunt Reformati, cœlum esse spatium aliquod, in quo beati cœlites,  
& qui is præest Christus, localiter sedeant, ambulent & conversen-  
tur. Quamquam autem cœli beatorum naturam, & quæ ex ea resultant  
q valitates, e scripturis minime colligere queamus, quoniam tamen in  
hiscere rebus facilius est dicere, quid res non sit. quam, quid sit, adstruere,  
& vero Scriptura huic adversariorum hypothese frequenter adversatur,  
ejus ductum secuti, falsum hoc assertum esse pronunciamus. Non se-  
quitur e textu: Quicumque expectatur de cœlis, est in cœlis corporali-  
ter, ut Zanchius ad h. l. ait. Annon enim e cœlis potest expectari Chri-  
stus, etiamsi non veniat e loco aliquo materiali, in quo jam supra firma-  
mentum conclusus hæreat? nonne Deus Sodomitarum peccata perlu-  
strans de cœlo descendere dicitur Genes XVIII. 21? nonne Filius Dei cū  
carnem nostram assumeret de cœlo descendit Joh. III. 13? quis autem  
sanus dixerit, has duas Divinitatis personas tum relicto loco supra fir-  
mamentum posito in hanc inferiorem mundi partem per cœlos mate-  
riales iter fecisse? & cum in extremo die omnia cœli terræque spatia una  
cum ipso mundo peritura sunt, ubi tandem Christus hærebit, ubi degent  
corpora glorificata, dubio procul enim corpore Christi meliorem sortem  
habitura non sunt? Nos potius sic concludimus: In quocumque cœlo  
Christus est omnium Dominus, cuique subjecta sunt omnia, illud non  
est

est locus creatus ac circumscriptus. Ratio, quia Christus considerandus est vel juxta divinam vel humanam naturam, si consideretur juxta divinam, uti quidem cum hic considerant Reformati, ne admittere cogantur Christo secundum humanam naturam competere potentiam, omnia sibi subjiciendi, per se patet, Deum non esse in loco circumscripto, si consideretur juxta humanam naturam, aut attenditur in unione cum λόγῳ, aut ut corpus glorificatum habet, si attendatur in unione cum λόγῳ, ei omnia attributa divina partim mediate, partim immediate sunt concessa, at inter hæc etiam illocalitas locum habet. Si vero spectetur, ut post resurrectionem σῶμα τῆς δόξης habet, pariter ab omni spatii occupatione absolvi debet: Nam & nostra corpora glorificata, quia per μετασχηματισμὸν *spiritualia* fieri debent, nulla superficie vel aeris, vel alius cujusdam elementi, ambiri vel circumscribi possunt. Taceo, quod & elementa, quibus alioquin circumscribitur locatum, cum hoc mundo transitura sint. 2. Petr. III. 10. Certe cum Aristoteles disputet, cœlum supremum non esse in loco, cum non circumscribatur superficie corporis continentis, quantum minus cœlum beatorum loco aliquo corporeo circumscribi judicandum. Nec obstat, quod Apostolus talem hic indiget conversationem, qualis est civium in sua civitate. Nam ex nuda cum civitate comparatione ad omnimodam congruentiam non licet argumentari. Tertium comparationis non in eo consistit, quod sit locus quidam crassus, sed quod ibi sit magna beatorum ac angelorum congregatio, sicut in civitate in unum coetum sub certa legum forma coeunt, interprete Paulo Ebr. XII. 22. 23. Palmarium Calvinianorum robur est, quod Act. III. 21. dicatur *cœlum suscepisse Christum*, at aliud est honorifice aliquem suscipere, aliud localiter includere, prius, non posterius asseritur Petro. Reliquas objectiones vide solutas in B. Scherz. *Breviar. Hulseman. cap. XVI. thes. VIII. pag. 1099.* Brochmand. *System. Theol. part. II. pag. 940. seqq.* Balduin. *Comment. in b. l. Balthaf. Meisner. Phil. Sobr. part. I. pag. 823. ad p. 866.* Joh. Meisner. *Exam. Catechism. Palat. quest. XLVI. p. 681* Feuerborn. *Oper. Fasc. I. disp. I. p. 31.* Gerhard. *LL. Theol. Tom. IX. de V. Æ. §. 41. pag. 281.* Dannhauer. *Hodomor, Spiritus Calv. Phantasm. III. §. 15. p. 814.*

F

QVÆST.

QVÆST. IV.

*An Christus ante iudicium extremum regnum aliquod in his terris per mille annos continuandum instituturus sit?*

Quamquam hæc de Chiliafmo controversia nonnullis in utramq; partem salva fidei analogia ventilari posse videatur: nihilominus si non de tempore millenario, cuius Johannes in Apocalypfi Cap. XX. meminit, sed ipso Chiliafmarum dogmate, quo Christianæ religionis capita, præsertim ea, de novissimis, miris modis lacerantur, S. Scripturæ dicta admotis quasi fidiculis in alienum & Spiritui S. contrarium sensum detorquentur, Augustanæ Confessioni velut in faciem contradicitur, sermo sit, tantum abest, ut in eorum concedam sententiam, ut potius errorem hunc vel ex eo, quod cum Fanaticis superioris & hujus ætatis paria tradat & mirifice conspiret, maximopere fugiendum eum, & si ubi occasio fuerit data profligandum dicitem. Itaque cum & in textu nostro, quibus is convinci possit, argumenta latitent, operæ pretium duxi, eadem, imprimis hoc tempore, quo nondum controversia deferbuit, in forma Syllogistica, utut ea sudes in adversariorum, etiam in hac parte Platonem imitantium, oculis sit, ac quod in ea proponitur, nomine Sophismatum traducatur, exhibere. Antequam autem id faciam, præsuppono 1.) hic agi de adventu Christi ad extremum iudicium, illud enim utrinque concessum est. 2) μετασχηματισμὸν esse bonum V. Æ. proprium, quod pariter præstantissimi quique Theologi docent. 3.) Regni Chiliaflici cives (si qui dabuntur) non habituros corpora glorificata, regnum enim potius ut terrenum, quam ut spirituale vel cœleste describunt. Nunc argumentor: Si cum adventu Christi secundo collatio bonorum æternæ vitæ priorum statim erit conjuncta, sequitur inter adventum Christi secundum & collationem bonorum V. Æ. priorum non intercedere regnum per mille annos duraturum. At verum est prius. Fideles enim in textu Christum ideo tot suspiriis expectant, quia cum ejus adventu, ut alia bona, ita & corporum suorum glorificationem conjunctam fore sciunt. E. & posterius. Porro: Quicumque magnis suspiriis Christum ad iudicium de cœlo venientem expectat, ille nescit statum Chiliaflicum, in quo suppressis impiis ac ipso Antichristo, fideles cum Christo regnaturi finguntur.

At

At Paulus θεόπνευτος cum suis in fide sociis magnis suspiriis Christum  
 &c. E. Ratio Majoris est, quia si meliora tempora, quæ alterum Chri-  
 sti ad judicium adventum antecederent, scivissent, sine dubio non tam  
 hunc, quam illa votis omnibus expetiissent. Minorem probatam vide  
 Sect. I. §. 13. Item: Is status ante judicium extremum & collationem  
 bonorum Æ. V. priorum antecedet, in quo dantur corpora ταπεινώ-  
 σεως. At in statu Chiliastico non dantur corpora ταπεινώσεως. E. non  
 antecedet extremum judicium. Ratio Majoris est, quia Christus ex  
 corporibus ταπεινώσεως corpora τῆς δόξης efficiet, quod fieri non posset,  
 nisi præcederet status, in quo corpora ταπεινώσεως forent. Minor probat.  
 Quia jam tum supra Sect. I. §. 13. diximus, tribus de rationibus corpora  
 nostra vocari corpora ταπεινώσεως. α.) ob inhærens peccatum.  
 β.) ob varias calamitates corpori contingentes. γ.) ob corruptionem  
 in morte. At juxta Chiliastarum sententiam a civibus regni Chiliastici  
 omnis impietas, error & injustitia prorsus exulabit. Vid. Hoffn B. 3.  
 p. 343. item Wahrheit des herrlichen Reichs. pag. 100. & 109. nec locum  
 amplius habebit afflictio. Glaubens Lehre p. 48. Hoffn. B. 3. pag. 146.  
 multo minus mors. Bekantnis q. 66. (quanquam in his omnibus,  
 quod obiter observo, mire sibi contradicant.) Nam licet hæredes novi  
 regni ob singularem pietatem & sanctimoniam tantum non ubique com-  
 mendent, securos tamen & mundanis deliciis abreptos, ibidem dari a Gogo  
 & Magogo tandem impugnandos, arbitrantur. Glaub. L. p. 31. : sic afflictiones  
 quidem abolent, ut tamen simul asserant, melancholiam, dolores hypo-  
 chondriacos ac Spiritum mæstitiæ magis, ut nunc, familiaria fore: Sic immor-  
 tales quidem eos futuros esse statuunt, morte tamen intra hoc tempus non-  
 dum penitus sublatam. Wahrh. Hr. R. Denique, si anima ante judicium ex-  
 tremum tum perfecta beatitudine fruitur, ut nihil amplius optare que-  
 at, quam ut corpus transfiguratum a Christo veniente ad judicium ei-  
 dem adjungatur, sequitur eam non esse in regno chiliastico, consequen-  
 ter nec regnum chiliasticum judicium extremum proxime antecedere.  
 Ratio, quia non diffitentibus ipsis Chiliastis in regno chiliastico non  
 datur omnibus numeris absoluta beatitudo. At verum est prius, tum  
 per alia Scripturæ loca Genes. XXV. 8. XXXV. 29. XLIX. 33. I. Sam. XXV. 19.

Philipp. I. 13. Luc. XVI. 22. Apoc. IV. 8. V. 8. 9. VI. 9. 10. VII. 9. 10. *tum* quia  
 fideles in nostro textu a Christo veniente ad iudicium non petunt, ut a-  
 nimam ad se in cœlum recipiat, sed ut corpus novis qualitatibus dona-  
 tum, animæ adjungat. E. & posterius. Nolumus ex aliis Scripturæ dictis  
 rationes accersere, cum hæc controversia jam tum ad liquidum plane  
 perducta sit, hoc unicum, quod hac de re meditati fortuito succurre-  
 bat, ex abundantibus appono: Quodcunque dogma animas beatorum  
 e manu Dei Sap. III. 1. & sinu Abrahamæ Luc. XVI. 23. contra Joh. X. 28. 29. I.  
 Petr. I. 4. eripit, fruitioni divinæ contra I. Thess. IV. 17. Joh. XVI. 22. inter-  
 vallum quoddam, idque satis magnum, assignat, ac æternitatem salutis  
 contra Dan. XII. 13. 2. Cor. IV. 17. Ebr. IX. 15. I. Joh. V. 13. infringit, & vicis-  
 sim animas beatorum in regnum quoddam, quod neque terrenum, ne-  
 que spirituale, neque cœleste est, (nesciunt enim ipsi quale futurum sit)  
 collocat, illud omnibus vere Christianis merito debet esse abominati-  
 oni. Nam si hoc non est contra Scripturam, quid tandem quæso contra  
 Scripturam est. Atque dogma de Chiliasmo animas beatorum, quæ *ἀπὸ πρῶτον*  
 h. e. a primo e corpore excessus momento plena & intensive perfecta be-  
 atitudine fruuntur Apoc. XIV. 13. a fruitione Dei revocat in regnum  
 hoc phantasticum, martyres enim resurgere h. e. quoad animam ex æ-  
 ternitate in tempus transferri debent, *non enim hoc regnum in cœlo vel æ-*  
*ternitate, sed in tēpore ac in his terris quærendum est*, sunt ipsissima verba Au-  
 thoris Hoffm. *Bessrer Zeit.* p. 177. O profligatissimum meliorum temporū  
 solatium! Num Tertullianus *Lib. III. adv. Marcion. cap. XXIV. p. 400.* ali-  
 quod in Textu nostro Chiliasmi sui præsidium invenerit, aliis judican-  
 dum relinquo. Videat. B. Gerhard. *LL. Theol. Tom. IX. p. 158. Diss. Aca-*  
*dem. p. 1010. seqq.* Scherzer. *Syst. Theol. p. 584. Disput. Giess. Tom. VII. Diss. XIII.*  
*in Appendice, imprimis Disputationes Antichiliasmicas Magnif. & Summe*  
*Reverendi Dn. Præsidis, Patroni ac Præceptoris nostri ad cineres usque maxi-*  
*mopere colendi, cui, & sinibil ederet posthac amplius, æternas gratias omnino*  
*purior Lutheranorum cœtus deberet.* B. Pfeiffer. *Antichiliasm. ejusdemque*  
*Scepticismus Spener. p. 350. seqq.* D. Meieri *Antichiliasmus Absolutissimus.*  
*Calixti Tractat. de Chiliasmo haud pridem renato.* D. Nunngesseri *Spes*  
*Desperata.* L. Simon *Ungrund der Hoffnung* B. J. M. Boldigii *schlech-*  
te

te Hoffnung B. J. D. Rudrauff. *Dissert. de Chiliasm. Vet. & Nov.* D. Baier. *Dissert. Historico-Theologica Errori Chiliasmorum opposita.* B. Seb. Schmid. *Dissert. de Chiliasmo Apocalypico.* B. Calov. *Bibl. Illustrat. in Apocal. Cap. XX.* *Synops. Controv.* p. 976. B. Qvensted. *Syst. Theol. P. IV.* p. 649. D. Wachtler. *Solidissima Vanitatis Chiliasmica demonstratio.*

*Questio V.*

*Num in resurrectione mortuorum alia corpora nobis donanda sint substantia ratione prorsus spiritualia?*

Putidum hoc Socinianorum commentum, si ex ullo alio, certe ex hoc Scripturae dicto solidissime refelli potest, teste B. Calovio in *Bibl. Illustrat. ad b. l. Urgeo* 1.) *vocem μεταχνηματισμῶν*, quæ significat, ut jam supra dictum: *rei quoad substantiam eidem alias indere qualitates.* Jam si corpora nostra per transfigurationem alias, manente tamen substantia, qualitates, indeptura sunt, sequitur, non alia corpora substantiæ ratione prorsus spiritualia nobis esse donanda. Hoc enim si fieret, non maneret eadem corporum nostrorum substantia. At verum est prius, vi vocis *μεταχνηματισμῶν.* B. & posterius. Porro: Si corpora beatorum transmutari debent, aut transmutabuntur per solam transfigurationem, aut per ipsam transsubstantiationem. Tertium enim non datur. Sed non per hanc: quia juxta Socinianos corpora beatorum non ex terreno, quod nunc habemus, corpore, quod requirebat transsubstantiatio, sed ex cælo producenda sunt. Ergo per transfigurationem. Quod sic hoc, & vero transfiguratio importat mutationem non φύσεως sed χήματος h. e. accidentium, sequitur, corpora nobis non esse donanda diversa ab iis, quæ gessimus in hac vita. 2.) *vocem ταπεινώσεως*: Nam si idem corpus, quod peccato, calamitatibus ac morti fuit obnoxium (quæ omnia vox *ταπεινώσεως* importat) in corpus τῆς δόξης, quod his omnibus non amplius subjiciatur, efformandum est, sequitur non alia corpora, e substantia cæli facta, nobis esse donanda. Atqui verum est prius. E. 3.) *vocem συμμέθεσθαι.* Nam si corpora nostra corpori Christi conformari debent, & vero Christi corpus glorificatum fuit illud ipsum corpus, quod pro nobis passum, mortuum ac sepultum est, sequitur non alia corpora, quam quæ hic passa, mortua & sepulta sunt, glorificationem a Christo susceptura, & animæ jam jam beatæ redunienda esse. Sed verum est prius. E. 4.) *vocem ἡμῶν.* Si enim sic fiet transfiguratio, ut, si glorificatum corpus cum anima jam beata jungatur, idem illud suppositum evadat, quod olim suæ glorificationis adeo fuit cupidum, sequitur corpora fidelibus esse donanda.

non ab his, quæ gesserunt diversa. At verum est prius, vi vocis ἡμεῶν. E. & posterius. ζ.) ex relatione ταπεινώσεως ad vocabulum τῆς δίκης. Justitiæ enim divinæ congruit, ut idem corpus, quod hic militiam difficilem sustinuit, ac in stadio proposito fideliter decucurrit, ibi brabeum consequatur, ne alii pugna incumbat, alii corona contingat. conf. 2. Tim. II. 11, 12. Videantur plura apud B. Gerhard. LL. Theol. Tom. VIII Cap. IV p. 407. Scherzer. Colleg. Anti-Socin. Disp. CXLVIII. seqq. Syst. Theol. Loc. XX. p. 589. B. Calov. Script. Anti Soc. Part. II. p. 333. seqq. Arminianism. Cap. XIX. § 9. p. 511. seqq. Synopsis. Controv. Art. XVII. th. VI. pag. 979. seqq. B. Feuerborn. Antiochorod. Disp. XXXVI p. 558. seqq. Brochmand. Syst. Part. II. p. 947. seqq.

### QVÆSTIO VI.

*Utrum peccata fidelium in extremo iudicio sint publicanda ?*

Affirmativam sententiam inde a Scholasticorum temporibus tuentur Pontificii : nos vicissim cum Nostratibus Theologis plerisque omnibus negativam sequimur. In eam enim propendere videntur, tum alia Scripturæ dicta, tum & hic, in quo illustrando nunc versamur, textus. Si Christus respectu piorum ad iudicium veniet non ut severus iudex, sed ut benevolus Salvator, sequitur eum peccata piorum non in publicum omnium conspectum producturum. Salvatoris enim est, eorum, quorum est Salvator, peccata tegere, non propalare, nec facile quicquam admittere, quod cederet in ipsorum ignominiam, eosque rubore suffunderet. Ita enim se ipsum quasi abnegaret, quia revelaret ea peccata, quæ eo fine sibi imponi passus est, ut pro illis abolendis sufficientissimum λύτρον præstaret, quorumque non amplius recordari se velle pollicitus est. Imprimis e connexionione adventus Christi ad iudicium cum ipsa fidelium transfiguratione sic argumentor : Si adventus Christi ad iudicium cum ipsa fidelium transfiguratione indivulso nexu cohærebit, sequitur non dari spatium satis longum inter adventum Christi ad iudicium & æternam beatitudinem intermedium, in quo peccata hominum omnium publicentur, uti nuper aliquis Fanaticus *re & nomine Malus* impudentissime rugatus est. Confer. Matth. XXV. 34. 1. Petr. V. 4. 2 Tim. IV. 8. collat. cum 2. Thessal. I. 8.

### QVÆST. VII.

*An μετασχηματισμός quoad singula beatorum individua sit idem?*

Affirmativam sententiam e Textu nostro sic adstruimus : Si omnia beatorum corpora per transfigurationem Christi corpori glorificato conformari debent, sequitur, quod idem μετασχηματισμός singulis beatorum individuis continget. Alias enim non omnia beatorum corpora, corpori Christi glo-



glorificato conformarentur. Sed prius est. E. & posterius. Distingvendum tamen hic merito est inter eundem μεταχηματισμὸν essentialiter & accidentaliter acceptum. Palam est, eundem quoad essentialiter μετασχηματισμὸν perinde ac ipsam V. Æ. cujus pars est, singulis beatorum individuis contingere, hoc tamen non obstante dabuntur gradus quidam accidentales, quibus beati ad invicem satis different, pro majori vel minori meritorum excellentia; quibus majorem minoremve claritatem Deus ex gratuita benevolentia decrevit. Ab iis ergo omnibus divortium facimus, qui gradus V. Æ. accidentales, Petro Martyre præeunte, vel plane negant, vel saltem in dubium vocant. Nam & in nostro textu quoddam hujus rei reperitur vestigium. Sicut enim dubium nullum est, quin Christus, corpora beatorum transfigurans, longe majorem & excellentiorem claritatem habeat, quam ea omnia, quæ transfigurabit, corpora habitura sunt. Causa enim nobilior est causato, sicut etiam norma normato: ita nemini mirum esse debet, si & inter ipsos beatos quædam præmiorum diversitas statuatur, præsertim cum clara Spiritus S. hac de re extent testimonia Dan. XII. 3. 1 Cor. XV. 41 42.

#### QVÆSTIO VIII.

*An Christus secundum utramque naturam sit omnipotens?*

Nos e textu præsentis evidenter ita concludimus: Quicumque (1) opus plane divinum peragit. (2) eam habet efficacitatem, ut sibi omnia possit subjicere, ille vere est omnipotens. Major a priori & posteriori infallibiliter concludit: a priori quando ipsam omnipotentiam per virtutem omnia sibi subjiciendi definitionem Christo appropriat: a posteriori, quia ex opere plane divino causa plane divina cognoscitur. At Christus secundum humanam naturam opus plane divinum peragit. Calvinianos enim eam potentiam ad divinam Christi naturam restringentes vide supra Sect. II. Aphorism. III. refutatos. Crocius nobis e Textu nostro sic argumentantibus hoc obvertit, quod non statim, cui natura omnia subjiciuntur, ea omnipotens sit natura, sed quæ sua virtute nativa sibi subjiciat omnia. At hoc frustraneum ἐγκλημα est, non enim dicimus humanam naturam natura omnipotentem esse, sed gratia unionis personalis. Deinceps, licet non negemus, Christum habere potestatem sibi omnia subjiciendi πρώτως & originaliter secundum Deitatem, simul tamen id fate-mur, ejusdem illius potestatis humanam naturam participem factam esse Confer. Dan VII. 13. Matth. XXVIII. 18. Joh. XVII. 2.

Plura forent hic apponenda, sed ne Tractatio justo fiat longior, huic asse-mati Theologico colophonem imposituri Deo pro concessis viribus gratias agimus maximas, eundemque veneramur supplices, ut animas nostras post beatam analysin ad se recipere, iisdemque corpora nostra corpori Filii sui glorificato conformata redunire non dedignetur.

Hic ZITTÆ genius, præclaram condere gentem,  
Et dare virtutis pignora vera suæ.

Et tu *Butteli*, patriæ vestigia laudis  
Et genium cœli non reuēntis habes.

*Doctissimo Dn. Auctori de Specimine Disputationis  
elegantissimo, ex animo gratulatus,  
deproperabat*

**Jo. Georg Neumannus. D.**

---

Non opus est, hederam temere suspendere chartis,  
Gratia quæis jam tum non mediocris inest.  
Qui Tibi sit fervor, quæ vis, quod mentis acumen  
Quam juvet Authores pervoluisse Sacros,  
Qua Tibi mensura divina charismata Sancti  
Sint concessa, probant hæc monumenta, Dei.  
Non igitur laudes aveas, nec verba malorum  
Cures, quos Tibi non arbitror esse pares.  
Musas namque Tuas prompte pius omnis amabit,  
Atque vel invitas ad sua Sacra trahent.  
Quid Patriæ Patres? noscent ex ungue Leonem,  
Et Tibi pro meritis præmia larga dabunt.  
Ipse Deus studium curasque favore probabit,  
Ac tandem in cœlo Phosphorus alter eris.

*Hicce CL. hujus Disputationis AUCTORI Contubernali & Amico  
svavissimo dilectissimoque de egregio Specimine Academico  
gratulabatur*

**M. Johannes Schoenfeld.**

VO 17

